

AB

46  $\frac{14}{H, 14}$



00

00

remph = 00

We

P. C. 66

Alf. Dec. reg. n. 12  
n. 12 In capitam

In Deo finis

Thes. A. VIII. 63.





H. Ioh. p[ro]p[ri]o [I]p[so] [V]M  
g[ra]t[ia] bene D[omi]ni S[an]c[t]i


22

A. Deo p[ro]p[ri]o [I]p[so] [V]M  
Honor D[omi]no  
et Laeta Christo  
et D[omi]no  
regi nostro n[ost]ro  
nato D[omi]no

n

Honor Christo regi  
et D[omi]no nostro  
n[ost]ro nato







D. NICOLAI

SELNECCERI RESPON

sio vera & Christiana

AD

THEO: BEZÆ

FALSAM, ET MINIME CHRIS

tianam, venenatam, ὡς ἰσχυρῶς καὶ ἄλλοι

ἀποτιμῶν, quam vocat, de

fectionem & censu

ram.



ANNO.

1 5 7 27



D. NIGOLAI

SENIORIS

AD

THEO: BEZE

PHILIPPO

PHILOSOPHO

ACADEMIAE

LEIPZIGENSIS

1681



ANNO

1681







Erò resistimus ei, quem ad-  
mirati aliquando fuimus  
contra nos. Et ratio est,  
quod cum longè absimus,  
& Francofurti, V Viteber-  
ge, atq; alibi hominis istius,  
Bezæ nimirum, meræ &  
putidæ calumniæ sint di-  
stractæ, audiamus serò, quid agatur, & quid ho-  
mo iste cum manipulo suo molitur, quidue mon-  
strat. Dudum respondere volueram, quan-  
doquidem silentium nostrum tantummodo confir-  
mat hominum istorum petulantiam, & κακίνοιο.  
Sed impedit me cum hoc ipsum, quòd ad myste-  
ria istorum, quæ eruditi nonnulli à murium oc-  
clusionè deriuant non sine mysterio, serius ve-  
nerim cognoscenda, quæ nimirum prodierunt iam  
per distracta ijs in locis, quorum mentio facta est,  
exemplaria, tum quòd peregrinationibus neces-  
sarijs retractus, primum hoc die, qui Ioannis Ba-  
ptistæ nomen habet, ocium istud meo antagonistæ  
ridiculum, (vt solet hominum istorum maledicæ &  
arrogans, præstigiatrix & ironica natura) ad  
vnum atq; alterum diem nactus sim, quo etiam die  
me conuertere cepi ad lectionem libelluli Bezæ  
contra me editi, & hæc, quæ placuit respon-  
dere, assignaui, eo modo, quo breuiter illa  
propono, minimè dubitans, non tantum eos, qui  
me & officij mei rationes quotidie norunt, sed  
A 2 etiam



etiam exteros meae breuitati veniam daturus esse,  
quandoquidem etiam in illa ipsa breuitate, ea quae  
ad rem faciunt, plane & euidenter dicturus sum,  
Deo iuuante & cogitationes, sermonem, & ma-  
num dirigente ad gloriam & laudem nominis sui,  
& veritatis immotae propagationem. Te igitur  
o Fili Dei Domine noster Iesu Christe, Emanuele &  
cordium scrutator & cognitor vnice, inuoco, &  
oro, vt in hac causa, quae tua est, & omnipotentiam,  
gloriam & veritatem tuam spectat, nobis assis, &  
a verbo tuo regredi & discedere nos non patiaris.  
Nihil sumus, nihil valemus, nihil possumus, nihil  
nobis persuademus. Non nobis Domine, non no-  
bis, sed nomini tuo da gloriam. Sanctifica nos in  
veritate tua, sermo tuus est veritas. Serua tibi in-  
ter has confusiones veram Ecclesiam, in qua tu  
ἱκέτης nos ἱκέτης ad aram tuam sedentes exau-  
dias & serues. Rationem cum nostris peccatis  
in causa tuae gloriae inire noli. Dicimus quidem:  
Peccatori dixit Deus, quare enarras iustitiam mea-  
am: & agnoscimus nostram immundiciem, infir-  
mitatem & indignitatem: sed tamen bonitate, mi-  
sericordia, & certitudine promissionum tuarum  
freti confidimus, te, cum causa, quam dicimus, tua  
sit, etiam in his fluctibus, quibus cymba nostra con-  
cutitur, inter ipsas echidnas nobis affuturum esse,  
clamantibus, Κύριε σῶσον ἡμᾶς. Non enim  
σφίγγος anigmata proponimus, sed veritatem tu-  
am, quae plana est. Tu nos gubernas, & sis noster  
Beatus



Ἐραβῶτις καὶ σύμβουλος. Et tribuas, seu potius restituas tuo coetui concordiam. Te duce et rectore praelia secunda habebimus. Facilius enim est causam nostram, quae tua est, et vera, et plana est, exponere et illustrare, quam nostris aduersarijs et maleuolis, ubicunq; locorum illi sint, suas phantasias euoluere. ἰχυρόν ἔστι τὸ ἀληθές, τὸ ἐν τοῖς κινῶσι καὶ φερόμενῃ, etiam in magnis periculis. Cumq; quod ad me attinet, habeam conscientiam meam testem consiliorum et factorum meorum, in qua acquiesco, certus sum, te mihi affuturum, qui etsi nihil video esse loci pijs consilijs, cum violenta consilia aduersariorum tegantur sophisticâ (quae est Orci galea) et rabie hypocritica, nimis dura et dira, quam magis, quam scyllam et charybdin metuo, praesertim in hoc seculo deliro, et rixoso, vel potius bestiali et sycophantico, in quo ubiq; fera regnat Erynnis, et ἀναρχία extrema est, ἧ ἡ πᾶσα ἐν εἰ κακῶ ἰδέα, et rara admodum sunt pietatis exercitia, et impendent horrendae confusiones, tetri errores, et dilacerationes Ecclesiae et imperiorum, in quibus certum vitae cursum vix quisquam instituere potest: tamen etiam sedens ut Daniel cum alijs pijs inter Leones, ἰεργὰρ ἀγκύρω scio esse, quod tu, Fili Dei, Domine noster Iesu Christe, seruabis tuas aliquas reliquias, et gemitus nostros exaudies, et impios punies. Vt enim antea nunquam effugit anta-

A 3 gonistarum



gonistarum sophistica A drastian, vt Carolostadij,  
Syluani, & aliorum horrenda exempla testantur,  
ita nunc non effugiet, cum plus assumat impuden-  
tie, κακοθεσιας, & fraudum aulicarum, specie  
nescio cuius sanctimonie & veritatis, minime san-  
cte & vera, sed hypocritica & insidiatrix, vt tu  
nostis, Deus & frater noster, qui omnia nostis &  
καρσι, ο γνωσῃς. Vidrix autem erit veritas tua,  
δυναμίου verò καὶ καινοτομίου, & ingeniorum  
superba petulantia, qua horribiliter laceratur tua  
Ecclesia, confundentur, que etiamsi nunc regnum  
aliquod obtinere se posse putant, & miris technis  
etiam prudentes circumueniunt, quas impedire non  
possumus, tamen nescit sepeliri in puluere verum,  
modo interea familiaritates eorum vitemus, &  
consociationis Ecclesiarum studiosi simus, & mul-  
ta non ferenda hominibus tetricis, patienter fra-  
mus. Videmus enim, quàm sint infirma humana  
omnia, nisi diuinitus tegamur: & cum humana  
auxilia nulla esse videamus, patientiam nobis, o  
Iesu Christe, & constantiam efficacia Spiritus tui  
sancti largire, vt ante thronum tuum consistere  
hilares possimus, glorie & veritatis tue asserto-  
res, infirmi in nobis, firmi & animosi, intrepidi  
& inuicti in te, & in verbo tuo. Sic igitur  
me iuuua respondentem ei, qui calumnias serit con-  
tumeliosas in te, Bez e scilicet, homini erudito co-  
ram mundi sapientibus, verè autem stulto & rudi  
coram



coram oculis tuis. *Causa tua est, me Christe inuato.* In tuo verbo rete laxabo, Amen.

Accepi & legi, Beza, Christianam scilicet & modestam tuam, quam vocas, defensionem. Heu quò peruenimus? in quod tempus reseruati miseri sumus? Qualis ne hodie Theologia? Christianum nominari & modestum id, quod scatet mendacijs & calumnijs, ironijs, sarcasms, virulentia, maledicentia, & vehit ἀμάζαε βλασφημιῶν in ipsa Ecclesia Christi, quibus auribus, quoue animo accipi potest? τάρτατε ἢ χόρδευε ὁμῶς τὰ πρᾶγματα ἀπωλῆ, & aude aliquid breuibus gyaris & carcere dignum, extremumq; in re desperata experire, summa est & argumentum modestæ tuæ defensionis, Beza, si verum dicere nondum est prohibitum. Sed vos modesti scil. urbani, faceti, ingeniosi, & lepide acuti homines magnum vehementerq; laudandum esse arbitramini, si id, quo etiam Satan se in angelum lucis transformare, & κακῶς φρενῶε ἡδεῖ λαλιᾶ tegere potest, ridiculè, & in detrimentum Ecclesie imitemini. Sed de his conscientia tua statuat, quod debet. Deceptos quidem nonnullos esse hac tua inscriptione audiui. Et perferuntur ad me etiam atroces sermones & literæ magnatum quorundam, qui etsi à sycophantis, & securis ventribus incenduntur, tamen suo fortassis etiam odio ardent. Ac nisi misere Ecclesie parcerem, non deesset mihi vera & historica oratio ad refutandas istas modestas scilicet calumnias.



ἀλλ' ἀγαθοῦς ἀνδρῶν ἡ τὰ πρὸς τὰ φίλους  
 De meo capite agitur passim. Sed commendo me Fi-  
 lio Dei protectori suorum, & modesta tua immo-  
 destia me terreri non patior. Tu si aliorum homi-  
 num impudentium instinctu, & narratione leuissi-  
 ma & vanissima in imputandis & exprobrandis  
 ijs, quæ minimè vera sunt, passus es te pertrahi ad  
 scribendam immodestissimam tuam, homo, ni fallor,  
 modeste, defensionem, institutam absq; vlla vi, tibi  
 quam illatam à me esse dicere fortasse possis, dignus  
 es commiseratione homo miser & imprudens. Sim  
 verò ex furore effudisti & euomisti modestiam  
 tuam, id est, virus acerbitalis tuæ inconsideratæ,  
 quod Christianæ & modestæ defensionis nomine  
 fucare conatus es, non commiseratione, sed odio  
 dignus es. Sed quicquid sit, tibi mentem opto me-  
 liorem, cogitantem illud: ἀκισαί δὲ φρένες  
 ἐδλωμ. Aperta enim mente loquor, quæ sentio,  
 absq; fucò, & modestiam tantummodo verbalem  
 odi & execror, iuxta illud tibi iam dudum cogni-  
 tum: ἐχθρὸς γὰρ μοι κενόητος ἔσται.

Exposuerunt suam de tua immodesta defen-  
 sione sententiã mihi multi boni viri, etiam ex ijs, quos  
 tuã modestia, id est, dans subdole verba, in opinio-  
 nes tuas pro autoritate nominis tui, perobscuri  
 quidem adhuc in Ecclesijs nostris orthodoxis, sed  
 tamen aliquomodo, ὡς κακὸν ὄν, vt Germania

644



tuum nomen refert, cogniti, pertrahere conaris,  
hoc est, eos, quos interfuisse synodo Dresdensi scri-  
bis, & conciliare tuæ causæ impiæ & blasphemæ  
impudenter studes. Verba eorum, non unius, sed  
plurium hæc sunt: Dolendum est, nempe istis tur-  
bari Ecclesiam Christi, quales Beza scripsit. Ut  
negant veram communicationem, ita nihil dicunt,  
quod sit verum & reale, sed tantum dant verba,  
& decipiunt bonos. Tales sunt Sacramentarij  
nunc isti novi. Tectè & callidè omnia sua agunt.  
Vnde certum est, Spiritum sanctum in cordibus il-  
lorum non testari de ijs, quæ moliuntur. Nam de  
quibus, Spiritu sancto doctore certificamur, ea  
etiam confiteri sine inuolucris, & verborum am-  
bigibus tenemur. Isti autem id quod sunt, esse  
videri nolunt, & quod non sunt, esse se mentiuntur.

Quid Beza, τὸ κακὸν ἔργον spargit, nisi menda-  
cia & blasphemias? Quid reliqui moliuntur, nisi  
ut nos, ut hætenus fecerunt, subdole circumueniant?

Ex his modestam tuam & callidam responsio-  
nem, Beza, licet agnoscere liceat, tamen pauca  
quædam, ne nos ἐν πλάτῃ & in genere, ut aiunt,  
loqui, aut conuitiari fingas, examinabimus.

Duo sunt, quæ affers. Vnum extra causam,  
alterum quod causæ est proprium.

Quæ extra causam dicis, cum sint ἐξ αὐτῶν  
καὶ πρὸς τὸ μέγεθος, καὶ οὐδὲν πρὸς ἑπὶ, suo  
A 5 loco



loco relinquo, ne lextorem pium ijs, quæ vere sunt  
ἡδὲ πᾶσι γὰρ circumducamus. Cum autem, vt scis  
scriptum sit: Calumnia conturbat sapientem, &  
perdit robur cordis eius, non possum non vehemen-  
ter affici tua modestia, quam in ijs, quæ extra cau-  
sam effutis, ipse predicas, eaq; immodestissima pro-  
fecto, & plane diabolica, qui denuo ita mihi obijcis  
(sed, Deo gratia, mendaciter & turpiter) leuitatem  
& inconstantiam, adeoq; defectionem & proditionem,  
vt saluo pudore nullum inficiationi relictum esse lo-  
cum, absq; omni pudore affirmes. Sed audi Beza  
modestissime homo, id est, calumniator impudentis-  
sime & mendacissime (cur enim, si vera loqui debeo,  
aliter loquar?) audi inquam, mi homo, quid scriptum  
sit: Calumniatores Dominus conteret. Et notum ti-  
bi est illud: Calumniator id patiat, quod reus, si  
fuerit conuictus. Doleo te autem hominem, vt videri  
vis, honestatis studiosum, infamiam istam tam teme-  
re tibi ipsi tuisq; ipsum attrahere. At quid faciam,  
quid queso Beza, dicam? οὐδὲμ ἔχω σοφὸν εἰμὴ  
ἀκροῦ καὶ εὐχᾶς. Tibi autem optime cupiens, cum  
animum me habere sentiam, condoleo maxime, &  
commiseror metuendum tuum tuorumq; casum, nisi  
ea, quæ vera sunt, impugnare cessetis. Leuitatem  
mibi primus primum obijcis, mi homo. At qua rati-  
one? nulla profecto. Testis sit non oratio, sed vita,  
& mores cogniti non malis viris, εἰδὲ δόξα. Re-  
spondere quid amplius debeam nescio, cum res ipsa,  
testib. etiam aduersarijs, & meâ conscientia, loqua-  
tur, idemq; Filius Dei in iudicij sui executione tibi  
sit



fit demonstraturus, non sine tui confusione. Interea  
iudicium sit penes optimos quosq;. Leuitatem enim  
& scurrilitatem omnem tibi in tuum sinum remit-  
to, minimè à me exceptam, cum à te missa ædes meas  
nomine suo deformare conaretur. Quæ autem gra-  
uitas tua sit, indicat modestia tua scripto isto con-  
tra me edito in medium prolata, ita, vt leuitatem si  
quis depingere, vt alij rectè iudicârunt, velit, specia-  
men non tantum  $\omega$   $\sigma$   $\kappa$   $\lambda$   $\rho$   $\sigma$   $\epsilon$   $\lambda$   $\omega$ , aliquam, sed eti-  
am exemplar viuum habere possit. Quid enim leui-  
us, quàm pronuntiare de ijs, quæ nec comperta quis  
habet, nec quæ vera esse depræhenduntur, & tantum  
plaustra conuitorum conuehere ad opprimendos  
innocentes, & nondum auditos, id quod strenuè, le-  
uiter & impudenter facis, mi homo: ignosce verita-  
ti, fucum minimè habenti, & amicitiam atq; inimi-  
citiã in fronte gerenti. Arroganter & superbe  
obijcis passim mihi, nescio quantam inscitiam & ru-  
ditatem. Nihil moror, Beza, quo me loco habeas.  
Et discere cupio, quàm diu vixero. Maximum eo-  
rum, quæ scimus, minimum esse eorum, quæ ignora-  
mus, puto te mecum fateri, nisi velis plura, quam ip-  
si Christo homini tribuis, tibi arrogare. Mihi nihil  
tribuo. Si Ecclesijs & scholis hæctenus prodesse stu-  
dii, vt profectò studui, idq; factum esse, non verbali-  
ter & titulotenus, sed, Christo gratia, realiter, præ-  
sertim in ipsa praxi, & tentationibus piorum mul-  
torum, gaudeo, bene est. Grammaticam verò, diale-  
cticam, physicam, & similia, quæ affers, monens, vt  
percipiam primùm, & tandem tecum, vt cum  
chasmale & luce mundi agam, Beza, qui nimirum



profundissimè exhauseris fontes artium & linguarum ita, vt reliquis reliquum nihil sit, absq; te datore & autore, etiam bene est. Omnia te scire concedo, omnia tibi, quæ sunt hominis, etiam spinosissima, tribuo, me rudem esse omnium tuarum opinionum, & persuasionum arrogantissimarum, publice & priuatim affirmo. Tenuia mea esse intelligo, & magis, quam tu, video, infrugifera verò vel fuisse hætenus, vel adhuc esse (Deo sit laus & gloria) nec VVittenberga, nec Dresda, nec Iena, nec Lipsia, nec, vti spero, Ducatus Brunswicensis, tibi vt dicas permittent. Et in Academijs ijs, quarum nominavi tres, multos esse scio, qui ingrati non sunt, sed plura, quam tibi tuisq; gratum est, & quam ipse agnosco, meis qualibuscunq; laboribus tribuunt, siue eos Grammaticos, siue Dialecticos, siue physticos, dixeris labores. Hoc vt dicam, leuitas tua facit, omissurus alioquin, imo nec agniturus, nec recepturus prædicationem mei istam. Qui ipse se contemnit, in eo est indoles industrie, etiam ethnici dixerunt. Et sine hypocristi me loqui certò scio. Sed quid hoc ad rem? Insania est in Ecclesia Christi, & impietas extrema, indulgere contemptui aliorum, præsertim laborantium in vinea Christi. Abeat igitur hæc tua leuitas cum inscitia & audacia malitiosa & temeraria, nec Grammatica, nec Phystica, nec Theologica, nec humana, sed furiosa & diabolica prorsus, ne, qui tibi adhuc parco, amplius dicam, committens totum negocium ei, qui  
tot







in tuo theatro applausores habes, homines scilicet  
arrogantes, neophytos, & impudentes, mi homo,  
falleris prorsus. Inconstantissimus enim, leuissi-  
mus & omni execratione dignissimus essem, si tibi  
aut istis morem gererem. Quod semel placuit, di-  
splicere amplius non potest. Cælum & terra peri-  
bunt, verba autem Christi manebunt. Inconstantiam  
igitur, homo modeste, exprobra & obijce ijs, qui  
à vera Christi doctrina scriptis Lutheri illustrata,  
discedentes, in tua castra, quæ Nestorianis & Eu-  
tychianis, seu Sacramentarijs sunt erecta, transire  
ceperunt, quorum ego nec socius, nec συνεργός  
esse volo, etiamsi in Latomias eundum sit. Noui  
quidem, quid aulici & politici, & quidam alij non  
pauci dicant & polliceantur, sperandum scilicet es-  
se, vt, quos hæctenus Sacramentarios fuisse consti-  
tit, ij se cum nostrarum Ecclesiarum confessione  
coniungant, vt ita vna fiat Ecclesia, si modò aliquid  
iam ipsis, etiam erratorum, permittatur. Bene est,  
Domini mei. Aulicè enim & politicè loquimini,  
atq; vtinam verè. Sed quid fit? Dum sermones isti  
magna cum iactantia & persuasione aulica magni-  
ficè proferuntur, crescit & augetur securitas indi-  
es, & subdole, iuslo Dei iudicio transitur in foeti-  
da castra eorum, quos aulico more conciliare nobis  
volueramus, contra Dei voluntatem. Hæc incon-  
stantia pessundabit Germaniam, & attrahet pœnas  
publicas & priuatas. Si enim vlla atate leuitas, se-  
curitas, & inconstantia hominum, non tantum Po-  
liticorum



liticorum, Principum, Consulium, Senatorum, &  
aliorum, sed etiam Theologorum, qui sanè ita per  
hiberi volunt, manifestè inspecta, & omnium ocu  
lis exposita fuit, certe iam in hac causa prodita illa  
est supra modum, ita ut sidera errantia, & arundines  
vento agitatae mundo & Ecclesiae passim praesse,  
paucis exceptis, dicere quis verè possit, quem  
admodum scriptum est: Etiam ij, qui seruiunt ei,  
non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.  
Quanto magis hi, qui habitant domos luteas  
(politici & securi) qui terrenum habent funda  
mentum, consumuntur velut à tinea? De mane usq;  
ad vesperam succidentur, & quia nullus intelligit,  
in aeternum peribunt. Qui autem reliqui fuerint,  
auferentur ex eis, morientur, & non in sapientia.

Defectionem insuper mihi obijcis, nullius defe  
ctionis conscio. A quibus quaeso defeci? Ostende, Be  
za, proba, demonstra, aut impudentissime te menti  
tum esse confitère. Sed inquis, A Vuitebergensibus  
defecisti, Selneccere, quod ex tuis ipsius in illos, &  
illorum in te scriptis dijudicari potest. Euidens haec  
scilicet est demonstratio, plane Geometrica, & ho  
mine Theologo digna. Vuitebergensem Ecclesiam &  
Academiam veneratus sum semper ea reuerentia,  
qua fas & par, & possibile est in hac vita. Illam  
autem definimus non ex tuo cerebro, sed ex confes  
sione scripta & edita, labore & operâ Lutheri ma  
ximi, heròis in te & tuos animosissimi, & adhuc li  
cet in terris non amplius nobiscum cõuersantis, tamen  
nominis



nomine saltem suo, tibi tuoq; manipulo terribilis ea  
de causa, quod per vitam, scripta, & nomen ipsius,  
vestra omnia extinguantur & confundantur. Et  
extant Dei beneficio grauissimæ confutationes tua-  
rum physicarum opinionum in scriptis cum Luthe-  
ri, tum synergorum, auditorum, & discipulorum  
eius, siue Philippum, siue Pomeranum, seu alios, &  
in primis Försterum Theologum nomines, quorum  
hic etiam ante agonem iam huic valedicturus vitæ,  
Christo gratias egit toto pectore, quod tuæ Sectæ,  
quæ Sacramentariorum est propria, nunquam sese  
addixisset & subiecisset, seq; ideo conscientiam ha-  
bere tranquillam, & hilari animo posse ex hac  
vita decedere, & ad Christi tribunal supplicem ac-  
cedere, affirmavit. Accessit postea D. Eberi pastoris  
labor, tuis physicis scurrilitatibus per omnia repu-  
gnans. Et est, mi homo, quod ad hanc causam  
attinet, ex VVittenberga in primis, deinde etiam  
ex alijs nostrarum regionum Ecclesijs, toti mundo  
satis superq; (nisi in luce meridiana excæcare nos  
ipso velimus) tuus delirus error expositus & de-  
nudatus. Ecclesiam igitur & Academiam VVite-  
bergensem non habemus, non agnoscimus, non acci-  
pinus, non suspicimus nouam, mutatam, aut tibi ad-  
dictam, sed eam, quæ & qualis fuit antehac, viuo  
presertim Luthero, Philippo, & reliquis, qui tuæ  
deliria fugienda esse, pijs omnibus ostenderunt. Ab  
hac verò sententia si nonnulli, numero vel multi, vel  
pauci, ratione, securitate, & arrogantia sua seduc-  
ti,



Et, fortasse discesserunt, ut tu ais, illis defectionis  
notam, non mihi, aut alijs, qui veterem, veram, &  
immutam doctrinam retinemus, inurere te decet, si  
modo vir non malus es. Cum Cypriano dico:  
Contumaces, & Deum non timentes, & ab Eccle-  
sia in totum recedentes, nemo comitetur. Pereant  
sibi soli, qui perire voluerunt: extra Ecclesiam  
soli remaneant, qui de Ecclesia recesserunt. Et  
cum Nazianzeno:

Μαχτύρομ' ἀθανάτοιο θεῶ χεῖρα καὶ τὸ κέλευνορ  
ἡμαρ, ὃ πλὴν κέρω πυρὶ βόσκου ὑσαῖορ ὑλῶ,  
οὐ μ' ἐγὼ κείνοισι ὁμόθεον, οὐχ ἑμοεργός,  
οὐδὲ τί συμφράδ' ἡμῶρ οὐ σύμπλοθ', οὐ σωο-  
δίτης,

ἀλλ' οἱ μὲν προῶν ἐλὼ ὁδὸρ: αὐτὰρ ἔγωγε  
ζητῶ Νῶε κίβωτορ ὅπως μόρον ἀνὸρ ἀλύζω.

Numinis æterni dextram, lucemq; nigrantem  
Testor, materiam flammâ quæ summa vorabit.  
Non me confessorem illis, sociumve laborum,  
Nec fore pravorum consortem consiliorum.  
Non eadem me cymba vehet, non semita ducet.  
Verum hi, qua cepere via, persistere pergant.  
Ipse salutiferam Patriarchæ persequar arcam  
Antiqui Nœ, ut fugiam illetabile lethum.

Ecclesiam & Academiam VVitebergicam, ut pa-  
triam, & metropolim omnium Christianarum scho-  
larum omnes & singuli, qui religioni vera, & stu-  
dijs

B

dijis



dijs humanioribus addicti sumus, merito magna  
facimus, & ab omni macula tutam, immunemq;  
custodire, & seruare studemus, quandoquidem cle-  
mentissimus Deus Pater Domini nostri Iesu Chri-  
sti, tot & tanta ex illo loco per Lutherum Ducem,  
D. Philippum, & alios in totam Europam benefi-  
cia effudit, vt ingratisissimus sit & alastor, qui  
ΕΥΕΚΑ ΜΗΔΩΟΣ, ΩΣ ΕΤΥΧΕ, vel in minimo  
deformare locum illum conatur. Sed inquis,  
Beza: Cur igitur Selneccere illorum in te, &  
tua in illos scripta extant, & quos nam intelligis  
VVitebergæ degentes, quibus non assentiendum  
esse statuis, cum Ecclesiam & Academiam velis  
esse innocentem? Dicam, mi homo, absq; am-  
bagibus ea, quæ vera sunt. Iudicium sit penes pi-  
os & bonos.

Ecclesie & Academia VVitebergensis nul-  
la noui, nulla vidi, nulla legi scripta in me edita.  
Tu si habes, profer. Verbis enim tuis fidem non  
amplius habeo. Mea quoq; quæ vocas, in VVi-  
tebergenses scripta, nulla prorsus extant. Com-  
monefactio est edita de peruersione tua loci Acto.  
3. Oportet Christum cælo capi, id est, contineri,  
& compræhendi (de qua paulò post) insertâ il-  
la nouo Catechismo VVitebergæ edito. Num  
autem propterea in Ecclesiam & Academiam  
VVitebergicam inuectum me esse dices, cum monu-  
erim, ab illa versione & hætenus abstinuisse no-  
stras Ecclesias, & abstinere grauisimis de causis,  
sensu



sensu eo, quem tu fingis, plane impia & blasphem  
a, & nominatum nullius, nisi tuam illam versio  
nem esse, fecerim mentionem? Et cum per incu  
riam ista tua sanè egregia & sacrosancta scilicet  
versio, ob quam te in cœlum vsq; cupis extolli,  
cum inferno potius ista digna sit, ab ijs, qui Cate  
chismum scripserunt vsurpata sit, confitentibus hoc  
illis ipsis, quòd inter scribendum exemplar fortè  
tuum ad manus haberent, & nihil periculi subesse  
putarent, (id quod in Dresdensi conuentu etiam  
ab ipso Rectore in confessu omnium, omnibus si  
gnificatum est, vt Superintendentum animi suspici  
onem omnem facilius deponerent) effectum est  
tandem, vt Ecclesias nostras tuæ versionis puduerit,  
& etiamnum pudeat, & alios, qui eam vsurpã  
runt, poeniteat meritò, nec illa amplius, semel fa  
cta reuocatione feratur, DEO sit laus & gra  
tia. Prodiit autem postea Grammatica quædam  
Disputatio, V Vitebergæ quidem scripta & edita  
in me nominatim, calumniosè & contumeliosè, fu  
rore non humano, sed diabolico, mendacijs tur  
gente supra modum. Sed num hoc fecit, aut fa  
cere iussit Ecclesia & Academia V Vitebergen  
sis? Absit hoc à me, vt tam malè de viris opti  
mīs, quorum multi sunt in Ecclesia & Academia,  
Preceptores, Compatres, fratres, & amici mei,  
suspicer. Priuatus quidam, professione Græcus &  
physicus aliquando, Esromus Rüdingerus non sine  
morsu conscientie suæ, ausus est opus istud strenuum



aggredi. Disputationi autem respondi breuissimè.  
Num iam dices, Beza, me Academiam VViteber-  
gensis adortum esse? Nullo modo. Cum homine  
priuato & philosopho tantum mihi res fuit, quem,  
licet ille nominatim me petierit, nominatim tamen  
ego refutare nolui, neq; hoc fecissem in posterum,  
nisi ad litem, quam mihi intendis, mentio nominis  
istius pertineret. Et talem me esse norunt amici  
non mali, vt condonare possim & debeam non illi  
tantum homini amico nostro, sed tibi etiam & ini-  
micissimis hostibus iniurias, modò iniuriarum mole  
& cumulo non adigar & compellar inuitus ad de-  
fensionem verè Christianam & necessariam, quam  
nimium lacesitus non omissurus sum, Christo vires  
suppeditante, quàm diu vixero. Dicam amplius  
aliquid. Scriptæ sunt literæ ad aulas passim ab  
hominibus quibusdam Vvitebergæ viuentibus, acer-  
bitatis plenæ contra me. Num ego iam accedam,  
& pronuntiabo, Ecclesiæ & Academiæ culpa &  
autoritate id factum esse? Num quia tu me calum-  
naris, Beza, dicam omnes Gallos & Heluctios  
criminis istius reos esse? Spargitur famosa char-  
tula, qua paruo nescio cui, & diaboli nepoti au-  
tor istius imprecatur funem & suspendium, nihilq;  
deesse affirmat, nisi vt laqueo captus peream. Atq;  
hec vox ipsius Rectoris fuisse vulgò fertur. Sed  
ego ridens ista, fidem illis nullo modo habeo, cum  
nimis sint furiosa, & viris bonis excidere nequaquã  
possint, tantum abest, vt propterea Academiam &  
Ecclesiam



10

Ecclesiam suspicione onerem. Circumfertur tua  
am agens causam libellus, titulo, Exiguæ & mollis  
spongiae ad eluendos colores, quos illeuit contro-  
uersiæ de sacra cœna D. Paulus Eberus. De auto-  
re iudicia sunt varia. Num autem propterea Ec-  
clesiæ & Academiæ regionum harum, culpandæ,  
aut eiusdem perfidiæ esse dicendæ sunt? Eadem  
ratio est cum impressis denuò tuis calumnijs, &  
venditis exemplaribus tuæ defensionis præclaræ  
scilicet & magnificæ: id quod nos non tam non  
molestat, quàm gaudio afficit, si collatio modo no-  
stræ, id est, Christi, & tuæ, id est, physica huma-  
næq; rationis & causæ instituat. Sunt profe-  
ctò hoc tempore multa putida & putrida membra  
vnius corporis, quod tamen à Christo Deo & fra-  
tre nostro omnipotente conseruatur mirabiliter.  
Scias autem hoc etiam, mi homo. Etsi ad te tuasq;  
friuiolas & physicas *μωγίας* deficeret vniuersum,  
quod vocas, corpus (quod absit, & futurum nun-  
quam confidimus) tamen semper fore certo scimus  
coetum alicubi aliquem rectè docentium & discen-  
tium, qui tuas futilitates sit detestaturus. Et exem-  
pla Arrianismi ostendunt, seruari à Christo Deo  
& homine omnipotente Ecclesiam, licet interdum  
exiguam & obscuram, deficientibus ad Arrianis-  
mum plurimis, tamen orthodoxam, & resistentem  
machinationibus & furoribus diabolicis. Atq; hæc  
de his. Tuam autem nunc leuitatem, inconstanti-  
am, defectionem, adeoq; impietatem & scurrilita-



tem proditionemq; quam mihi innocentissimo int-  
rere conaris, tibi remitto nostris ab aedibus repul-  
sam & abactam, Beza, quamuis inconstantissimus,  
tuiq; oblitus (cum tamen mendacem esse memo-  
rem, tritum prouerbium iubeat) de defectionis  
crimine te mecum non agere, & te subscriptorem  
duntaxat esse, profectò egregium & laude dignum,  
paulò pòt perhibeas. Abeant autem hæc quoq;  
cò, quo pertinent.

Pergis, homo excitate, & bile feruentissima  
insaniens, nescio quas ineptias obijcere mihi, quibus  
sacra, vt ais bone vir, dedecorem. Quid intelligas,  
certè ignoro. Versiculorum meorum, quos pue-  
riles vocas, mentionem feceras. Fateor me in lecti-  
onibus semper delectatum esse, & delectari versicu-  
lis ad captum auditorum accommodatis. Et non  
oblitus sum prædicationis & laudis olim & crebro  
profectæ à D. Philippo & Camerario, de qua aliàs.  
Sed audi mi homo, quid dicas. Versus, quos obijcis,  
vt indicaui singulis locis, mei non sunt, sed D. Phi-  
lippi, Stigelij, Vuidebrami, & virorum aliorum do-  
ctissimorum, paucissimis exceptis, quos interdum  
addidi. Quod ad me attinet, neq; laudem tuam ma-  
gnifacio, neq; vituperationes tuas curo. Ἐστὶν  
ἄλλοι, non Beza, proponere studeo, id quod, si vi-  
xero, Christo iuuante, re ipsa probari poterit. At  
nec de his vt agatur amplius, consultum esse iudico.  
Scurrilia autem tua quod ipse nominas, tibi gratiã  
habeo. Mibi enim si id fecissem, minimè crimen læse  
maiestatis



maiestatis tuæ condonasses. Scurrilia igitur tua sunt  
in propatulo, te quoq; iudice. Ridicula, quæ vocas  
mea, adhuc quæris, sed nondum es expiscatus, ut ille  
ait, nescio quas sordes in horto, ut sues solent, cõqui.

Molestum tibi esse nomen Sacramenta- [rens.  
riorum, id est, Cinglianorum & Calvinistarũ præ-  
texis. Credo, mi homo, molestissimum tibi esse. Nul-  
lus enim hæreticus dici vult hæreticus. Et has ma-  
chinationes strui à tuæ farine hominibus certum  
est, ut expungatur nomen Sacramentariorum, Cing-  
lianorum & Calvinianorum. Viceritis, hæretici,  
si res perbella, urbana & acuta vobis successerit.  
Dresdæ quòd mentionem facis, scias Beza, eos, qui  
nuper Dresdæ conuenerunt, Superintendentes, ut  
vocant, tibi tuæq; vesaniæ contrarios esse prorsus,  
tantum abest, ut vlla contentione, ut homo impuden-  
tissime absq; omni rerũ cognitione fingis mendaci-  
ter, eos oppugnârim, & petijisse & vrsisse pleros-  
q; , ut nominatim Sacramentarij appellarentur,  
quos profectò alios non, nisi Cinglianos & Calui-  
nistas, & te sociosq; tuos intellexerunt & intelligunt.  
Viri illi boni sunt, pij, & eruditi, & nihil magis  
optant, quàm ut tu & tui nostras Ecclesias missas  
faciatis. Et vix vnum, exceptis scholasticis paucissi-  
mis, inuenies, tibi qui astipuletur. Hos num  $\delta\kappa\mu\alpha\tau\omega\upsilon\delta\epsilon$   
 $\omega\upsilon\delta\epsilon$  nomines, tu videris. Consensus illorum  
mecum est saluus & integer, meusq; cum illis vicis-  
sim. Et quid defuerit viris optimis, didici iam du-  
dum, & testantur veri sermones, de quibus certi-



aliquid constat mihi magis, quam tibi vulpeculae  
astutiae & versipelli, melle oris volenti fel cordis  
tui propinare hominibus innocentibus.

Per obscurum me hominem vocas, cuius res  
gestas nondum potueris diuinare. Certè, mi ho-  
mo, opto, vt contingat mihi dulcis quies, obscuro  
loco: id quod Nazianzenum quoq; peroptasse &  
impetrasse legimus. Res gestas nullas noui. Nil  
sum. Paroxysmos multos sustinui absq; mea cul-  
pa. Christo Filio Dei ago gratias pro liberatione.  
Christo meo si seruius & notus sum, satis superq;  
imò nimium habeo. Celebritatem nominis in mun-  
do obscuro & caliginoso non affecto. Penes te sit  
ista celebritas ad tempus. Hoc tamen scias Be-  
za, Germanos nostros hactenus absq; tui nominis,  
rerumq; si quae sunt, à te gestarum notitia vixisse,  
& adhuc viuere, & non aliter nosse nomen tuum,  
quam nomen vel bestiae vel mali oui. Sed abeat  
hic quoq; lusus.

De fide & conscientia mea graues testes con-  
queri, diabolicum est figmentum, quod tuae perfidi-  
ae & conscientiae furiosae tribuo. Valeat igitur  
haec tua malitia & improbitas. Dicere enim cum  
multa possis, praecclare versatus in extremis virtu-  
tum octauae praeccepti, venia tibi viro clarissimo dan-  
da est.

Nulla me prorsus methodo vti, perturbatè  
scribere, malum esse Grammaticum, Latinitatis  
expertem, per inuia fugere, rudem rerum tuarum,

¶



Et nescio quæ plura, multis conuitorum ampullis  
sine mente scribis. Hoc scilicet est præclaris agere  
argumentis. Τι δὲ τὰ λεγόμενα ὡς ἀπὸ οὐδὲ ἐκ  
πιστῶν; Nulla methodo me uti ipse negas non  
verbis, sed re ipsa, cum à me mutuèris methodum,  
qua in tua defensione vteris. De reliquis, quæ affers,  
et quibus leoninam, ut minima habent, mihi detrahis,  
solicitus non sum. Et gratulor mihi, non opus  
esse mihi tua commendatione, quæ, si adesset, et  
molesta, et minimè honorifica, sed quodammodo  
ignominiosa esset, et perniciofa. Sed abeant hæc  
etiã tecum, quorsum volueris. Addere tantummodo  
libet iudiciũ viri cuiusdam reuerendi, et eruditione  
atq; iudicio præstantis, de tuo conatu. Verba ad me  
scripta ante biduum hæc sunt: Facile potes con-  
temnere λοιδωρίας et præstigiosas διαβολίας  
Beze, velatas fucò modestæ defensionis. Profectò  
in illis adeò nihil inueni, quod uel te ledere, vel  
causam ipsam prægrauare possit, ut potius miratus  
sim eum non habere firmiora suæ opinionis argu-  
menta. Nihil enim adducit, præter friuolas elusi-  
ones è Grammatica et Dialectica petitas, quæ suæ  
semetipsas futilitate satis refutant. Et cognoscent  
lectores ex collatione tuæ defensionis ad Principem  
Augustum scriptæ, et putidarum rationum Beze,  
hominis vesaniam atq; impudentiam. Hæc ille.  
De mea doctrinula iudicent alij, præsertim quo-  
rum studijs VVitebergæ, Ienæ, et Lipsiæ coramo-  
dauit. Quod si vis, vir omnium, sub sole qui viuunt,  
B s eruditissime,



eruditissime, Grammaticè spirituosissime, Dialecticè  
φοξότατε, Rhetor λαλότατε, & omni eruditio-  
ne, fide, & virtute homo absolutissime, ecce assum-  
supplex, & illud AEsopi vsi rrandum mihi esse fa-  
teor: πάντα σὺ ἐπίσαοθι ἐπικωλυμένη, ἐμοὶ  
κατέλιπεσ οὐδέ ἐμ: ἀλλὰ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα

Quod praeterea, κοκκύζου καὶ κρώζου soles  
iteratione ridicula [ aut responde, Selneccere, aut  
veritati acquiesce ] veniam tibi concedo facienti suc-  
cum non considerantibus versutiam tuam similem  
illi, qui etiam victus, & luto immersus exclamare  
solitus fuit, κἔτα οὐ κἔτα. Nuper igitur vir  
quidam reuerendus scribebat ad me hunc in modum:  
Qui non legerunt defensionem tuam, & in scriptū  
Bezæ incidunt, in quo toties exclamatur, Aut re-  
sponde Selneccere, aut veritati acquiesce, putant te  
ab illo conuinci, cum tamen tua habeant res ac ner-  
uos, illius verò tantum sophismata, & impias argu-  
tias, &c. Sed hæc technæ sunt, & præstigie bonis vi-  
ris indignæ, quæ unico nomine, & verbo Domini  
nostri Iesu Christi confunduntur & pereunt, ut po-  
stea audiemus. Hereticos verò non miramur pro  
sua prauitate contendere: non volunt victi facile  
succumbere, quamuis sciant, id quod faciunt, non  
licere, ut ille inquit.

Tandem cum te verbis nihil aut admodum pa-  
rum proficere, & causa tua lubrica te cadere vide-  
as, verberibus opus esse affirmas. Vbi enim vulpina  
locum habere non potest, ibi assuendâ esse leoninam  
didicisti



didicisti. Ideoq; mones vt à Principibus coërceantur & puniantur ij, qui tibi sese opponunt, veritatē Christi propugnantes. Queritis sanguinem, hypocrite crudeles. Et penes vos si esset potestas, nō parceretis innocentib. Sed in manu Domini sortes, fata & occasiones nostrae sunt. Audi autem, quid Cyprianus nobis commemoret, inquiens: Armant nos haeretici, dum nos putant sua cōminatione terreri, nec in pace nos deiciunt, sed magis erigunt, atq; accendunt, dum ipsam pacem persecutione peiorem fratribus faciunt. Et optamus quidem, ne quod loquuntur furore, impleant crimine, ne qui verbis perfidis & crudelibus peccant, factis quoq; delinquant. Oramus & deprecamur Deum (quem prouocare illi & exacerbare non desinunt) vt eorū corda mitescant, vt furore deposito ad sanitatem mentis redeant. Si aut in suo furore permanserint, atq; in istis insidijs & mimis suis parricidalibus crudeliter perseuerauerint, nullus Dei sacerdos sic infirmus, sic iacens, & abiectus sit, imbecillitate humanae mediocritatis ita inualidus, qui nō contra hostes & impugnatores Dei diuinitus erigatur. Nostra nihil interest, aut à quo, aut quādo perimamur, mortis & sanguinis premium à Domino recepturi. Sacerdos Dei Euangeliū tenens, & Christi praecepta custodiēs, occidi potest, vinci non potest.

Desinendum nunc esse iudicarem à notatione tuarum criminationum, nisi Apologiam quoq; & appendicem meam rabiosissime inuaderes. Extra causam igitur de his etiam aliquid dicendū est, vt ea  
quae



quæ ad causam propriè spectant, facilius postea expedire possimus.

Me scholæ VVitebergensi purgatum voluisse, de proditionis & defectionis crimine, cum Apologiam scriberem, homo impudentissime & mendacissime effutire audes. Apologiam scripsi non quod quicquam mihi esset vel suspicionis vel controversiæ cum Academia VVitebergensi, sed ut alijs meam exponerem sententiam, ut copiose satis in ipsa Apologia significavi. Tu nunc mordacissima bestia accedis, & virus animi tui venenatissimi euomis, proditionis & defectionis me tua proditoria lingua & manu insimulans. Sed erit dies & iudicium iustum, ad quod te propius subinde accedere video, in quo Deus tot offendiculorum autores & fautores, rabidos ac furiosos canes potius, quàm Ecclesiarum pastores, tandem iudicabit.

Similitudinem facetam & urbanam affers, egregie homo. Num, inquis, Selnecceri pedes idcirco separati sunt à capite, quod ipsius quidem caput supra pulpitum debacchetur, pedes autem innum subsellium feriant? Irasci tibi nolo, Beza, etiamsi interficere me conarè. Commiseratione te dignum esse video, transsientem præ animi feritate omnis veritatis, modestiæ, & honestatis rationem. Docere studeo meos auditores ea, quæ vera sunt. Tuas tuorumq; disputationes nemo meorum unquam ex ore meo audiuit. Non enim mendacia propono, multò minus inanibus contentionibus turbari



bari patior simpliciorum aures & animos. De  
bacchationes insanas tibi commendo. Populum  
Christi simpliciter erudiendum, & rixis vel tuis  
vel aliorum turbatorum non inquietandum esse, re-  
cte iudico. Non enim edificatur Ecclesia, neque  
conciones sunt salutare, ubi priuatis affectibus in-  
dulgent ministri. De me autem, mea que oratione,  
fide, atque etiam gestibus minimè inquietis, iudicent  
auditores docti & pijs in scholis & Ecclesijs, in  
quibus docendum mihi fuit hactenus, & adhuc est.  
Tuam verò futilitatem & immodestiam, Beza,  
quem multi tamen virum putarunt esse grauem,  
quòd tam leuiter & incontinenter prodis, teque tur-  
piter prostituis totum, doleo profectò. Adeò verum  
est illud: Iracundia animositatis illius, subuersio  
illius est.

In Appendice me Dresdensta, vt loqueris, meis  
glossematibus inscitissime deformasse garris. Sed  
quid garrias, nescis. Ego, mi homo, doctrinam  
publicam, quæ Dei beneficio sonat, in Ecclesijs Mis-  
nicis, noui & didici, & sententiam eorum, qui con-  
uentui Dresdensti interfuerunt, perspectam habeo  
ita, vt nullus ex ijs non sanctè affirmare possit  
(quotcunq; in ministerio docendi verbum Christi  
laborarunt hactenus, & etiam nunc laborant) idem  
se sensisse, & sentire, docuisse & docere, quod bre-  
uiter illâ appendice ostendi, ac se alienos esse à  
sententia, quam ipsorum Confessione affingis insci-  
tissime, & audacissime. Atque hac de causa, quòd  
scilicet



scilicet mihi constaret de fide & doctrina virorum  
optimorum, qui in Ecclesijs illis seruiunt, liberius in  
appendice mea confessionem istam prædicavi, præ-  
sertim, cum ( ne quid habeas, quod obijcias ) versio  
tua Catechismo imprudenter inserta: Oportet  
Christum coelo capi, aut detineri: in illo ipso con-  
uentu, vt supra quoq; ostendi, ex Ecclesijs nostris  
exterminata merito, & ad te relegata sit, & liber  
germanicus, cui titulus est, **Grundfest** / nullo modo  
vel approbatus, vel acceptus sit, sed relictus autori-  
bus illius, quorum causam infeliciter ceptam reliqui  
defendendam suscipere minimè debuerunt, idq; si  
petitum fuisset, nunquam fecissent. Pessime igitur,  
Beza, cum Datheno tuo persuasum vobis habetis,  
accessionem aliquam Misnicarum Ecclesiarum, per  
illam confessionem, ad vestras partes factam esse.  
Mortem plurimi ex ijs, qui confessioni illi scriben-  
da interfuerunt, oppeterent facilius, quam tibi hoc,  
quod vis, darent Suam enim, quam scripserunt, con-  
fessionis formulam, & fidei veræ delineationem, non  
aliter intellectam volunt, quam scripta Lutheri de  
eadem doctrina & controuersta, ex fontibus Israël  
hausta & edita, tum ea, in quibus pugnat ille con-  
tra tuæ farine homines, tum in quibus simpliciter  
docet, euidenter, plane, plenè & solidè ostendunt.  
Hæc si probas, bene est. Si improbas, missas nostras  
fac Ecclesias. Hiatus ingens constitutus est inter  
nos & vos. Atq; hæc ideo dico, ne arbitrère, cothura-  
nis delectari viros illos senes, doctos & pios, qui in  
ministerio



15  
ministerio iam diu vixerunt, & doctrinam suam in  
tui vel aliorum gratiam non mutant.

Varia quidem multorum iudicia fuerunt de  
appendice illa mea. Ego verò non tam paucos alia  
quos, quàm consensum plurimorum consideravi, &  
propter unum atq; alterum de reliquorum dexteri-  
tate & constantia dubitare nefas esse duxi, & rati-  
onem publicæ concordie, salua veritate, habere vo-  
lui magis, quàm accusare eos quoq; , quos optimè  
sentire scirem, præsertim accedente inclyti Electo-  
ris innocentia, quem potius subiectione debita, ac  
leni interpretatione eorum, quæ facta essent, in veri-  
tatis agnitæ confessione retinendum, quàm accusati-  
one præpropera, & festinatione immatura concitā-  
dum esse censebam. Scribere autem nihil præterea  
volui, etiam monitus ab amicis sæpenumero, cum nō  
dubitarem, futurum, ut tu & alij glossam afferretis  
ipsti, id quod tandem à te & Datheno & Magnatib.  
quoq; nonnullis factum est, ita, ut prætendi non pos-  
sit amplius, quasi per calumniam quicq; peruer-  
tus, aut frustra aliquid etiam ab ijs ipsis, qui con-  
uentui interfuerunt, desideretur. Et celare te non  
possumus, ipsum Elect. illust. certiore factum esse  
de ijs, quæ Cel. ipse desiderari intellexerat, & ex-  
poni sibi clem. voluerat, ut sunt: Primum, de persona  
Christi. Omnium enim orthodoxorum, & piorum  
fides & confessio hæc est, etiamsi Christus suscepit  
veram humanā naturā, & huius essentielles propri-  
etates omnes, absq; peccato, & retineat eas etiam in  
sua gloria, tamen, cum nō  $\mu\iota\lambda\omicron\varsigma$  sit  $\alpha\upsilon\delta\gamma\omega\tau\omicron\varsigma$  sed  
etiam

confessio  
ad hoc datur  
de persona  
Christi



etiam verus & aeternus ac omnipotens Deus, atq;  
ita Emanuel siue θεὸς ὁμοιωμένος, Deus & homo in  
vna persona, & in sua humana natura super omnia,  
quæ nomen habent, (solo Deo excepto) euectus,  
ita, vt ei etiam secundum humanam naturam data  
sit omnis potestas in cælo & terra, quòd possit suo  
etiã corpore, non tantum iuxta naturales, humanas  
& phisicas proprietates in vno certo loco esse, sed  
etiam vbicunq; vult esse, & in summa, vbi se suo  
corpore velle esse dixit, etiamsi id pugnet cum na-  
turalibus, & phisici corporis proprietatibus. Hæc  
cum negent Sacramentarij, & tantummodo phisicis  
regulis & causis secundis Christum velint esse  
alligatum, ideoq; veram ἡοὺ σωματικῶν ἡδ' ὁμοιω-  
Christi in cœna inficientur, opus est declaratione,  
ne confusio generum doctrinæ, veræ & falsæ, Ec-  
clesias perturbet. Item, docemus, Christum Ec-  
clesiæ suæ, & suo ministerio in terris, iuxta pro-  
missionem suam, adesse presentem, Deum & homi-  
nem in vtraq; sua natura. Hoc cum negetis, opus  
est certæ fidei & doctrinæ explanatione. Item,  
docemus, Christum corpore suo non tantum posse  
esse, vbicunq; vult esse, sed etiam verè & reäliter  
ibi esse, vbi se σωματικῶς esse velle dixit & promi-  
sit, non tantum modo naturali, visibili, compræhen-  
sibili, & circumscriptibili, siue locali, verum etiam  
supernaturali, inuisibili, incompræhensibili, imper-  
scrutabili & cœlesti, vt in cœna. Ipse enim dixit.  
Ipse autem Deus est omnipotens. Ipse veritas est,  
sed



sed omnis, mi homo, mendax. Hoc verò cum eti-  
am planè negetis, & ad localitatem physicam Chri-  
stum hominem alligatis, necesse est nostras Ecclesias  
ab inquinamentis vestris separari. Præterea doce-  
mus, absentiam Christi secundum carnem, esse in-  
telligendam de eo, quo manifesta & visibilis præ-  
sentia, conuersatio & familiaritas Christi secun-  
dum proprietatem & conditionem huius terrenæ  
& mundanæ vitæ, negatur, non verò de absentia  
corporis & sanguinis Christi à Cœna in terris ad-  
ministrata. Cum verò præsentiam Christi  $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$   
in cœna negetis, opus est declaratione ingenua,  
vt discrimen sit veræ & falsæ doctrinæ. Atq; hæc  
de persona Christi. Secundò de ascensione  
Christi ita docemus: Christum ascendisse in cœ-  
los verè suo corpore, sed non ita, vt suo corpore  
tantum in cœli loco aliquo eum esse oporteat, &  
alibi esse non possit, etiamsi velit: sed potius, vt in  
cœlis suo corpore sedeat ad dexteram maiestatis  
& virtutis Dei, & possit esse etiam suo corpore,  
vbi & quodocunq; velit, simul & semel. Hoc  
cum negetis, Sacramentarij, & impotentiam ve-  
stræ stultæ rationis, præferatis omnipotentia &  
veritati Christi, opus est declaratione. Item doce-  
mus, cœlum à Christo esse occupatum, vt à Domi-  
no & Rectore, iuxta illud: Oportet Christum  
cœlum accipere. Vos verò Christum à cœlo esse  
captum, contentum & comprehensum, & iam ita  
cœlo capi, detineri, & comprehendi dicitis, vt in  
C terris

De ascen-  
sione Christi

Cœlum à Christo  
occupatum



De Coena  
Christi

terris suo corpore non possit esse, etiamsi velit esse. Hic certe opus est declaratione, ut veritas à mendacijs & blasphemijs vindicetur. Tertio de Coena Domini docemus, corpus & sanguinem Christi non tantum spiritualiter per fidem, sed etiam nostro ore verè & substantialiter, & tamen modo non physico, sed imperscrutabili, accipi, & manducari: & presentiam Christi in coena esse cum spiritualem, tum corporalem, & Christum etiam corporaliter nobis exhiberi in coena, & non spiritualiter tantum, sed etiam participatione naturali in nobis esse: atq; indignos etiã, qui sunt in Ecclesia, corpore & sanguine Christi vesci, sibi ad iudicium. Hæc cum omnia & singula negetis, opus est aperta confessione, ne insidiosè Ecclesiæ nostræ erroribus implicentur. Atq; hæc ferè sunt, de quibus Inclytus Elector moneri voluit, quæ licet non extra causam sint posita, sed ad ipsam causam omnino pertineant, visum tamen est huc referre, ut de ratione meæ appendicis, & ijs, quæ postea secuta sunt, aliquid constet viris bonis, & rectè iudicantibus.

Desinam nunc euolvere tuas criminationes, eaq; quæ, ut verè ais, extra causam adducis: ad quæ tamen, antequam ulterius progrediar, referenda quoq; ea esse existimo, quæ de quorundam vocabulorum discriminibus, magna cum gloriatione & iactantia, adeoq; insulsa insultatione in me tuarum nugationum rudem, profers. Nam his tuis arietibus, profectò inualidis & ridiculis *λεπτολογίαις*

¶



17  
αἰε, prostratis semel, veritas elucescet, & ea, quae  
ad rem ipsam spectant, plana erunt omnia.

1. Inter δέχεσθαι & λαμβάνειν magnum  
dicit esse discrimen, quod à me ignorari arbitra-  
ris, & te nunquam inuenisse δέχεσθαι pro λαμ-  
βάνειν positum, ais. Doceri me patior, Beza, si vi-  
deo me doceri. At cum doctores istos falli video,  
falli ab ipsis me non patior, sed cum Davide dico:  
Super omnes docentes me, sapientiosem me fecisti,  
quia testimonia tua, meditatio mea sunt. Super  
senes intellexi, quia mandata tua custodiui.  
Sed heus, Grammaticae, cur pueris deridendam  
propinas tuam de te ipso persuasionem? δέχε-  
σθαι τὴν ἀρχὴν, & παραλαβεῖν imperium  
sive regnum Romanum, vno & eodem sensu Plu-  
tarchus dicit. In Fabio inquit: ἀναδεξαμένη τὴν  
πόλιν, id est, administrationem civitatis suscipien-  
te Fabio: Plane ea Phrasi, qua dicimus, Christus  
accepit caelum, εἰδέξατο τὸν οὐρανόν, id est, admi-  
nistrationem & dominium caeli. Et in eadem signi-  
ficatione δέχεσθαι & λαβεῖν saepe coniungi cer-  
tum est, vt tuum magnum, quod vocas, discrimen  
concidat hic, & pudore suffusum collabatur, &  
impossibile tibi sit ostendere. τὸ δέχεσθαι nihil ali-  
ud significare, nisi certo spatio comprehendere.  
Vanum hoc est, & friuolum. δέχεσθαι βασιλείαν  
& δέχεσθαι βασιλείαν ἢ ἀρχὴν, dicitur.  
Camillum εἰδέξαντο tanquam imperatorem.

C 2 Numans

δεχέσθαι  
4  
λαμβάνειν  
nihil diffe-  
rentiae





Numam Regem electum Sabini ἐδέξατο. Et:  
Institerunt apud eum, δέχεται imperium, id quod  
etiam dixerunt, παραβῆναι regnum. Et: Mit-  
tunt ad Camillum, orantes, δέχεται πῶς ἀρχῶν.  
Et sufficiant hæc tibi exempla, quæ in præsentia ad-  
duxisse oportuit.

2. Luc. 19. Christus accepit βασιλείαν.  
Matth. 10. & Luc. 18. Pueri accipiunt βασιλεί-  
αν τοῦ θεοῦ. Bone Deus, quàm hic tripudias, &  
discrimen, quod dixi esse, falsitatis arguis, & in  
homine Theologo minime tolerandum errorem à  
me committi demonstrare conaris. Sed vno verbo  
Gordium tuum nodum discindo. Βασιλεία Chri-  
sti hominis est ἐξ ὅστων πάντα in cælo & in terra,  
sive regnum potentie & gloriæ infinitæ, quæ nullis  
alioqui creaturis competit. Puerorum verò & be-  
atorum omnium βασιλεία est vita & salus æterna  
nobis per Christum nostrum βασιλεία parta, &  
sanguine ipsius acquisita, & credentibus donata.

3. Vocem Hebræam [ Kibbel ] dicis idem si-  
gnificare, quod aliundè oblatum vel traditum reci-  
pere, χωρῆν καὶ δέχεται. Ego verò cum dixi-  
rim, eandem vocem idem significare, quod accipere,  
sive per manus traditum, sive alio modo appre-  
hensum, falsitatis abs te accusor. Magna profectò  
lis, & magno iudice digna. Sed pax, tua pace, vt  
fiat, quæso concedas. Exempla certè non desunt  
meæ expositioni. Accipere vestes, scilicet manu,  
Hebræi



Hebraei exprimunt voce Kibbel. Esther 4. Et cum traditio & acceptio sint correlatiua, non omne autem, quod offertur, manu offeratur & accipiatur, sed etiam mittatur, doceatur, significetur, aut per alios tradatur, ideo dixi, non tantum manu, sed alio modo apprehensum, ut cum dicimus: Suscipe disciplinam, id quod est Kibbel. In hoc igitur curbs te reprehendar, non video, nisi quod te praeanimi vehementia & occacatione non videre video, quidnam videre debeas. Sed condonetur tuae modestiae haec quoque immodestia.

4. Particulam אַרְבַּיּוֹן, vsq; , detorques ad significationem certae commorationis in loco aliquo caeli, ad certum & definitum tempus. Oportet Christum, inquis, in caelo detineri vsq; ad nouissimum diem. Hanc significationem a me negligi quereris, addita exclamatione: Aut responde Selneccere, aut veritati acquiesce. At breuiter respondebo primum, & deinde veritati acquiescam. Responso haec est: Particula אַרְבַּיּוֹן additur dominationi Christi, 1. Cor. 15. & sessioni ad dexteram, Psal. 110. Ergo tua explicatio iam falsa est, & nullius ponderis. Veritati igitur acquiescens dico: Oportet eos, qui Christum caelo capi & detineri fingunt, ut alibi esse non possit, furere, vsq; ad terminum poenae constitutum, & iusto Christi iudicio tandem detrudi vsq; ad infernum, nisi in tempore resipiscant.

5. Christi nomen personam significare, re-

C 3 Etissime





Etissime scripsi. Et mecum vniuersa Ecclesia idem  
affirmat. Sed tu hoc fundamentum, vt vocas me-  
um, dicis esse fallax & lubricum. Hoc verò quid  
est, & quam Catechesin, quamue doctrinam nobis  
proponere conaris, Beza? Quid dices, aut  
quomodo κοινωίω διωμᾶτωρ necessariam esse  
dices in his loquendi formulis: Christus est pas-  
sus, crucifixus, mortuus? An ne hinc Christi no-  
men non significat personam? Si personam non  
significat, ad quid opus est doctrina de idiomatum  
communicatione? Sed etiam hoc tibi animi fer-  
uore, aut potius furore, abrepto, vsq; in tertium in-  
fernum, condono. At quid? κρησφύγεια & elu-  
siones tuas semper habes, & ὁ κῆτος οὐ κῆτος  
ingeminas. Sed quid efficis? plane nihil: te au-  
tem ipsum confundis, & gladio te tuo iugulas.  
IESV nomen esse vtriusq; naturæ, nemini dubi-  
um est, quia nomen officij est. Propter redempti-  
onem autem generis humani hoc nomen tributum  
esse Filio Dei, id est, Verbo, quod caro factum est,  
constat omnibus, qui Christiani sunt. Christi  
nomen eandem habet rationem. Hæc enim per-  
sona, quæ est Filius Dei, & ab æterno Deus, est  
vincta, consecrata, & destinata ad opus redempti-  
tionis generis humani perficiendum, & in sacer-  
dotem & Regem electa, Deus & homo, qui etsi  
quo ad incarnationem, ceperit esse Christus, cum  
semetipsum exinaniret (quòd scilicet, vt dixi, atti-  
net ad incarnationem, passionem, crucifixionem,  
&



49

et mortem) tamen et ab eterno est Deus, et  
Filius Dei et ab initio occisus est ut agnus, id est,  
efficacia et virtute sui meriti, et passionis etiam  
futuræ semper fuit generis humani Saluator, Iusti-  
ficator, Mediator, Redemptor. Apage igitur,  
Beza, cum tua distinctione. Quod si hanc urges,  
etsi alijs rationibus causam nostram, vel potius  
Christi, obtinere possumus, tamen te quoque iudice  
iam victores sumus. IESVS Christus, inquis, non  
est personæ nomen, sed humanitatis vox est. Bene,  
mi homo. Aut enim te iam fateri oportet nolentem  
volentem, omnia quæ humanitati Christi, diuina,  
et magnifica, hyperphysica et cœlestia tribuenda  
sunt, tribui ei omnino oportere, ut esse omnipoten-  
tem hominem (ab eo scilicet tempore, quo IESVS  
Christi nomen accepit) et omnes tuas disputatio-  
nes esse diabolicas et vanas: aut oportet te negare  
unionem hypostaticam, et huius vim et effectum, de  
quo tamen ipse dicis, quod diuinitas humanitatis  
vocem acceperit. Sed de hoc posteriore infra age-  
mus. Hæc enim cum extra causam dicantur, tan-  
tum notatione opus habent.

6 Non possum etiam omittere istam, quam  
pauci animaduertere potuerunt, ironiam, et sara-  
casmum lepidum, et dignum te Beza. Nos,  
inquis, nullum Quintum Euangelium agnosci-  
mus. Tuum hoc sit, tuæque factionis. Agnosco  
hanc vocem, et agnoui ante annos viginti, cum  
illam recitaret Dominus Philippus Preceptor,  
prolatus



prolatam à Pontificijs & aulicis susurronibus, sy-  
cophantis, & histrionibus, intelligentibus confessi-  
onem Augustanam, & Apologiam. Sed bene  
est, mi homo. Tecum sentimus prorsus. Nullum  
quintum Euangelium agnoscimus. Te verò in  
numero eorum esse videmus, qui in cathedra deri-  
sorum, & ἄνω ἐμπαύκῳ, sedere solent. Deus  
tibi saniozem mentem tribuat. Confessionem,  
Apologiam, Catechismum, & similia methodica  
scripta non equiparamus Euangelicis scriptis, sed  
cum sciamus illa esse ὑποτύπωσις ἄνω ὑγιαινόν-  
των λόγων, & methodum tradere ductam ex il-  
lis, & ducentem ad illa, certè magnificimus meri-  
tò. Sed de his inepti hominis fuerit, tecum ampli-  
us disceptare. Erit autem aliquando tempus, quo  
Germani Principes securitate sua iam stertentes,  
in derisores doctrine cœlestis animaduersuri sunt,  
sed non absq; malo publico, quod iam ferè nemo in  
tempore amoliri & auertere studet.

7 τὸ ἕτερον ἄλλο & τὸ ἕτερον, quomodo  
discernantur, à me ignorari gloriaris. Nihil,  
Beza, cupio à te mihi tribui. Sed fidei veræ &  
consolationis viuæ, in quo mori etiam possim, cum  
habeam fundamenta, tuas ad nullum vsu directas  
subtilitates profectò sordibus ipsis sordidiores esse  
existimo. Ne verò me tuæ arrogantia putes esse  
ignarum, iam dudum, ( quoniam tibi, præceptor do-  
mine, ratio de meis reddenda est studijs, tuo vene-  
rabili



20  
rabili iussu) quid gratia vnionis, quæ  $\tau\omega\sigma\tau\alpha\ \epsilon\upsilon\lambda\omicron\gamma\omicron$   
efficitur, & quid collocatae in carnem dotes, quas  
vis per  $\delta\ \kappa\alpha\delta\ \epsilon\upsilon\lambda\omicron\tau\omicron$  exprimere, designent, intel-  
lexisse me aliquo saltem modo ( si fortassis tua ad-  
huc indigeam, bone vir, institutione ) constare do-  
ctis & pijs viris non dubito. Rationem autem  
horum intelligent pijs, si quæ infra dicentur, consi-  
derauerint. Fucum enim istum præterire nos  
nunc oportet, spectantem magis ad rem, quàm ad  
 $\tau\omega\sigma\tau\alpha$ . Breuiter tamen hoc dicendum est:  
Christus in sua humana natura, quicquid habet po-  
tentiae, maiestatis, & gloriæ diuinæ, non habet ex  
conditione aut proprietate humanæ naturæ  $\kappa\alpha\delta\ \epsilon\upsilon\lambda\omicron\tau\omicron$   
considerate, sed habet  $\kappa\alpha\tau\ \alpha\lambda\omicron\sigma$ , id est, ex  
Deitate Christi, assumente & euehente illam in  
vnitate personæ. Mibi hoc sufficit, Beza: tu  
aliud quære discrimen: ad me nihil neq; tu neq;  
istud.

8 Blateras, me prorsus absurdè scribere, &  
prorsus inscienter, inter vnionem & vnitatem non  
distinguere. At quid blateras, quid reprehendi-  
dis? An non hæc verba sunt vestra, nuper Tiguri  
edita? Causa glorificationis humanæ naturæ in  
Christo est, quod hæc natura per vnitatem verbi  
sedet ad dexteram Dei. Tuos igitur Beza, si  
volunt, doceas Grammaticam. Ex vestris enim li-  
bris verba ista, quibus vos ipsos refutatis, allegaui.  
At hæc malitia est superbarum hominum, vt, quod



In se ipsis laudant, in alijs carpant, & de suis vitijs moniti, ea alijs imputent.

9 Acumen tui ingenij prestantissimum, & omni veneratione dignissimum ostendis in eo, quod me imperitum & rudem tuarum subtilissimarum, & plane diuinarum ratiocinationum nondum didicisse discrimen, ais, inter,

CHRISTVS Homo  
Homo CHRISTVS.

Exorta nuper hæc grauis contentio est inter Thomistas & Scotistas Theologos, non de vmbra aselli, aut de caprino vellere, sed ponderis de maximi re seria, quæ religionis ad negocium facit, &c: Ignosci mihi cupio cum à magistris nostris, tum à nostris magistris. Scriptum enim est: Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.

10 Eadem ratio est tuæ, quam vocas, Multiuolipresentialis maiestatis, siue vbiq̄uitaticæ, siue omnipresentialis gloriæ. Ex Erebo proferre tuas te iudico voces, quas nostræ Ecclesiæ ne per somnium quidem audiuerunt. At quales animi, tales voces. E cantu dignoscitur auis.

11 Reale, physicum, & Eutychianum, fingis esse synonyma, & me discrimen ostendere posse nullum pronuntias. Miror, cur non addideris, quod alij faciunt, vocabulum quoq̄, Essentiale. Sed vnde hæc tua tibi Grammatica? Reale, id est, physicum. Egregius verò Grammaticus. Res, id est, physis, seu



seu natura & essentia. Realiter, id est, naturaliter, siue etiam confuse. Omittamus autem istas ineptias, ortas ex odio virulentissimo in viros optimè meritos de Christi Ecclesia. Realiter verò dicimus idem, quod reuera, reapse, veraciter, non fictè, non verbotenus, non titulotenus, vt Cicero inquit: Rem spectari oportet, non verba. Et opponimus reale ei, quod est fictitium, vanum, & inane, siue verbale tantum sine re. Hinc dicitur: Realis communicatio, id est, vera, non ficta, non falsa, non verbalis. Hoc num idem sit, quod physicum, essenziale, Eutychnianum, iudicent quæso viri omnes, qui non sunt extreme mali. Grammaticen primò discite Beza, anteq̃ alios docere incipias. Odium autem vestrum & acerbissima & arrogantissima virulentia, vos pessundabit & euertet, & Deus malignitiam vestram certo puniet, idq; fortassis breui.

12 De nomine πῶλονεῖτος & siue omnipotentis te virum tantum, quo inter natos mulierum non surrexit maior, mecum, qui non sum dignus, vt tibi præceptori corrigiam calciamentorum tuorum soluam, aut soleas tuas portem, nolle disputare ais, cum Grammaticen contemnam. Multa, mi homo, te effutire audio, & cōtumeliose satis me à te tractari video, & deesse tibi tantum hoc animaduerto, quod enecare me non potes. Rideo aut verè & suauiter ad omnes istos conatus tuos, & minime tibi irascor, quotiescunq; in me inueheris, nisi quando caedici, quæ Ecclesijs Christi, & ipsi Christo ferenda

Realiter  
ga



renda non sunt. Sed tamen audiamus, quid habeas, quod tam sit Grammaticum, ut eo, qui Grammaticen contemnam, (bona pace, Beza, nugas agis) indignus te iudice dicar. Nomine παντοκράτορ<sup>ς</sup> siue omnipotentis, inquis, non significatur, qui omnia possit, sed qui in omnia obtineat imperium. Hæc ars est scilicet artium, & scientia scientiarum, quam nisi Beza ex astris delapse nobis reuelasses, nemo ne diuinare quidem potuisset: quasi verò ignoremus, si etymon spectes Græcum, παντοκράτορα esse eum, qui cunctis imperet. Scis autem nî fallor, Schaddai Hebræum, voce Græca παντοκράτορ<sup>ς</sup>, redditum esse. Aquila ἄλκιμος, alij etiam ἀνταρκῆς reddiderunt. Quid verò designare voluerunt? certè nihil aliud, nisi vberriamam, & ut ita dicam, omnipotentissimam omnipotentiam eius, qui rebus petitis, expediendis & conficiendis par sit & sufficiat, & quicquid vult, possit, atq; sua potentia & bonitate permēet vniuersas creaturas, dans illis essentiam, vitam & motum. Idcirco dicimus in Symbolo? Credo in vnum Deum Patrem παντοκράτορα. Hic ne Beza negas significari eum, qui non tantum in omnia obtineat imperium, sed qui omnia possit, ut Hebræi dicunt, Col Iachol, aut etiam Schaddai? Fortè tibi mens est Plinij dicentis: Imperfectæ in homine naturæ præcipua solatia, ne Deum quidem posse omnia. Nanq; sibi nec mortem consciscere potest, si velit, quod

Contra  
στρωθία



quod homini dedit optimum in tantis vite poenis,  
 nec mortales aeternitate donare, aut reuocare de-  
 functos, nec facere, ut qui vixit, non vixerit: qui  
 honores gessit, non gesserit: nullumq; habere in  
 praeterita ius, praeterq; obliuionis: at ut bis dena vi-  
 ginti non sint, ac multa similiter, efficere non potest.  
 &c. Has blasphemias nondum arbitror tibi pla-  
 cere: aut si arrident tibi istae, quid Ecclesias tur-  
 bas? cur non Epicureismum profiteris ingenuè, &  
 Deo limites seu terminos potentiae statuis & figis?  
 Ostendet autem vobis realiter suam omnipotentiam  
 is, cuius thronum omnipotentem adoriri non vere-  
 mini, Gigantes omnium miserrimi.

Conuitijs tuis friuolis iam defessi, emissitias &  
 quisquilias tuas, quas proiecisti, ut digladiarentur  
 inter se imperiti, missas faciemus, & ea, quae extra  
 causam, id est, οὐδέπ οὐδέ ὑγιῆς, οὐδέ πρὸς ἔπθ,   
 dixisti, tandem abrumpemus, dolentes, tam diu pi-  
 os lectores tuarum sordium foetore molestatos esse.  
 Verè enim nobis accidit, quod scriptum est: Qui  
 cum stulto (superbo & arrogante) contenderit,  
 siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem. Et  
 memores sumus praeccepti Paulini: Noli contendere  
 verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem  
 audientium.

Nunc ad ea, quae ad causam proprie perti-  
 nent, accedendum est. IESU Christe, Fili  
 Dei





Dei, Deus & homo Omnipotens, adfīs nobis, &  
rege Spiritu tuo sancto pectora nostra, ut tibi gra-  
ta, & Ecclesie tue salutaria cogitemus, dicamus,  
& scribamus, ad gloriam & laudem nominis tui,  
& ad nostram salutem, Amen.

SUMMA TOTIVS DOCTRINAE,  
quam Beza cum suis oppugnat.

1. Christus Iesus Filius Dei, aeternus, &  
omnipotens Deus, Deo Patri, & Spiritui sancto  
ὁμοούσιος, ὁμοϊδιος καὶ ὁμοτίμος, Pa-  
tris aeterni εἰκὼν, ἀπαύγασμα καὶ λόγος οὐ-  
σιωδής, certo consilio Patris & Spiritus sancti,  
suoq; ipsius, tempore certo conceptus de Spiritu  
sancto, natus ex sempervirgine Maria, humanam  
naturam nostram, integram, anima rationali, &  
corpore constantem, & huius proprietates essenti-  
ales absq; omni macula, defectu, contagione & pec-  
cato assumpsit, & sibi univit unione hypostatica,  
ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, & ἀχωρί-  
σως, ut sit una persona, siue unum ὑφίσταμενον,  
Deus & homo, unus & idem Christus, & duae na-  
turae, assumens & assumpta, realiter & inseparabi-  
liter sibi inuicem unione personali unite, & reali-  
ter distinctae, ἕκαστον ἕκαστον, non autem ἕκαστον  
καὶ ἕκαστον: aequalis patri secundum divinam &  
aeternam naturam: minor patre & nobis aequalis  
secundum naturam assumptam. 2. Afo



23  
2 Assumpsit autem Filius Dei humanam natura-  
turam, non tantum, ut eam gestaret & sustentaret  
in seipso, & in ea pateretur, crucifigeretur & moreretur  
pro genere humano, & opus redemptionis cum ea  
absolueret, sed ut eandem hypostaticè sibi unitam,  
& ceu sociam redemptionis perfectæ, & omnis  
victoriæ, in seipso glorificaret, exaltaret, eueheret,  
ac consortem suæ vitæ, maiestatis & gloriæ in  
æternum ita faceret, ut sicut Christus Deus ab æterno  
in æternum omnem habet potestatem in omnes creaturas,  
& adorandus est ab angelis & hominibus, ita Christus  
homo, idem & vnus Christus, ut homo, datam sibi  
certo tempore accepit à seipso, ut Deo, & habeat in  
æternum omnem potestatem eandem, quam Deus (quia  
vna persona) in omnes creaturas, & adoretur ab  
angelis, & hominibus, Deus & homo in vtraque  
natura.

3 Christus igitur ascendens in cælum accepit  
cælum, ut victor & triumphator, & ut Dominus &  
gubernator cælorum, & omnium creaturarum, sicut  
inquit: Mihi [ homini Iesu Nazareno ] data est  
omnis potestas in cælo & in terra.

4 Est quidem Christus Deus, vnà cum Patre &  
Spiritu s. Dominus, creator, conseruator & gubernator  
cælorum, & omnium creaturarum, & nunquam  
accepit in diuina sua natura, vlllo tempore vllam  
potestatem, quia æternus est, & omnipotens ab æterno  
in æternum: sed in sua humana & assumpta natura,  
ut homo, accepit certo tempore omnem potestatem,  
maiestatem, gloriam, virtutem, & auctoritatem

uo mod.  
nam assumptam  
nam assumptam  
(cori)



tatem in caelo & in terra, ut verè dicere & gloria-  
ri possimus, quod Christus non tantum ut Deus,  
Dominus & Creator noster, sed etiam ut Frater  
noster, caro nostra, & sanguis noster, habeat om-  
nem potestatem in caelo & in terra, & à nobis in-  
uocetur, sit omnipotens, & κατὰ ἰσχύος ἡς, ut to-  
ta scriptura testatur.

5 Idem dicimus in Symbolo, cum confitemur,  
Christum, qui natus est homo, passus, crucifixus,  
mortuus, sepultus, resuscitatus, & in caelum as-  
sumptus, sedere ad dexteram Dei Patris omnipo-  
tentis.

6 Nunc ergo, quando queritur, cum Chri-  
stus homo ascenderit in caelum, & in sua humana  
natura caelum acceperit, ubi sit in caelo, num in cer-  
to aliquo caeli loco, quem Physicum nominare Phi-  
losophi possunt, num verò alia ratione in caelo esse  
dicatur. Respondet autem scriptura hoc modo:  
Christus in caelo est ad dexteram Dei Patris Om-  
nipotentis, & sedet ad dexteram virtutis & ma-  
iestatis Dei.

7 Sessio haec non est loci determinatio, non  
corporis circumscriptio, quae antea verbis (homo  
natus est de virgine Maria) expressa & confir-  
mata est, sed dignitatis, & maiestatis diuinæ, &  
gloriae infinitae est explicatio, & imperij summi  
significatio, eodem plane modo, quo maiestatem  
Dei dicimus esse in caelis.

8 Nequaquam autem corporis humani  
quæ

ubi Christus  
In caelo  
sit?

Sessio haec  
qualis.



φύσιν, περιγραφήν, καὶ ἰδιώματα essentialia  
negamus, sed etiam in gloria dicimus Christum ho-  
minem secundum naturales siue essentielles propri-  
etates esse circumscriptum, & physicè loquendo in  
vno loco secundum veri corporis modum, ut Augu-  
stinus loquitur, sicut ita rediturus est e caelo, &  
ita disputationi Sacramentariorum hanc quam ex-  
posuimus, sententiam, mordicus propugnantium,  
minimè contradicimus, sed assentimur, eamq; prio-  
res, quàm ipsi, explicauimus. Addimus autem  
tantum hoc, Christum posse etiam suo corpore hu-  
mano esse, ubicunq; & quandocunq; vult esse, modo  
quidem non physico, sed hyperphysico, & imper-  
scrutabili.

9. Huius fidei immotæ ratio inuicta est cum  
ipsa vnio hypostatica naturarum, diuinæ & huma-  
næ, tum sessio ad dexteram Patris in caelis caelo-  
rum, & omnis potestas in caelo & in terra, tum  
vna & eadem adoratio totius Christi, Dei & ho-  
minis, in vtraq; natura: tum deniq; ipsa voluntas  
& promissio Christi.

10. Dicimus certè in humanis rebus Impera-  
torem esse hominem, sed præstantiorem omnibus  
alijs. De Christo igitur cur non diceremus, eum  
licet homo sit omnibus hominibus maior, augustior,  
potentior, tamen posse, quæ vult, nemine impedi-  
te voluntatem ipsius? quia non tantum homo, sed  
etiam Deus est. Nullus profectò Imperator fe-  
ret hanc vocem, Homo es, ergo potentia impera-

D

toria

24

24  
Sed in  
vno loco  
secundum  
veri corporis  
modum



coria tibi est adempta, & non potes prestare ea  
que dicis & promittis. Multo minus Christus  
Filius Dei, Rex regum, & Dominus dominantium,  
Creator, Conseruator, Rector, & inspector, feret  
extenuationem sue omnipotentiae, qua etiam, quan-  
docunq; vult, corpore suo nobis praesens esse potest,  
& facere id, quod promisit.

*AB*  
11. Christus igitur potest corpore suo esse  
vbicunq; & quodocunq; vult, etiam in diuersis  
locis, simul & semel, absq; naturae humanae diffu-  
sione, extensione, corruptione, & absq; natura-  
rum confusione. Et ratio est

1 Quia Deus est aeternus & omnipotens.

2 Quia arctissima vnio est duarum natu-  
rarum, hypostatica.

3 Quia Christus exaltauit & euexit hu-  
manam suam naturam in seipso ad dexteram maie-  
statis & virtutis Dei, vbi omnia habet sub pedibus  
suis, & omnia videt, audit, dirigit, & administrat,  
omniaq; sibi praesentia habet, in vtraq; sua natura  
Deus & homo.

12 Non autem a potentia absoluta ad velle  
& fieri argumentamur, sed cum sciamus, Chri-  
stum posse facere, quae vult, nunc, ne sine discrimi-  
ne loquamur, necesse est nos etiam scire, quae velit  
facere. De omnipotentia igitur Christi cum iam  
nobis constet, quandoquidem Deus est, & ad cau-  
sas secundas, siue regulas physicas nequaquam alli-  
gatus est, & hyperphysico, arcano, diuino, &  
imperscruta



25  
Imperscrutabili modo, ipsi soli cognito, potest etiam  
am corpore suo esse, quomodo, ubi & quando vult,  
absq; humani corporis sui expansione, aut violatio-  
ne, (quod ut fiat, ipsi facile est, licet stultæ rationi  
humana videatur illud arduum & impossibile) re-  
stat, ut etiam certi esse possimus de voluntate Chri-  
sti, ut ita omnipotentia & voluntas Christi nos  
certificent de veritate immota, quam portæ infe-  
rorum labefactare non possunt.

13. Habemus autem de voluntate Christi ver-  
bum & promissionem, quod possit & omnino velit  
etiam humana sua natura Ecclesiæ suæ in terris  
adesse. Inquit enim: Ecce ego (cui ut Iesu Na-  
zarenò data est omnis potestas in cælo & in terra,  
& qui iam ascendo ad Patrem meum ad cælos)  
vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummati-  
onem seculi: qua promissione ostendit, se certo  
affuturum esse suæ Ecclesiæ: & quod non tantum  
potentia, efficacia & virtute velit ei adesse secun-  
dum diuinitatem, sed etiam præsentiam suæ ἀνθρώ-  
πότητος, certo sigillo & testimonio hanc præ-  
sentiam obsignauit in Cœna sua, inquit: Hoc est  
corpus meum, Hic est sanguis meus: sicut cum Pau-  
lo Apostolo promisisset se ei affuturum, ostendit  
ei in castris, quod ea quoq; natura, qua frater &  
caro nostra est, ipsi assit præsens, Actor. 23. Nam  
quod Martyr finxit, Christum assumpto spectro,  
& non in propria sua natura Paulo astitisse, im-  
pium est.

D 2

14 Dulcissima

Volun-  
tas Christi



*Arg adq  
nobis suu  
In unam  
naturam  
Argta  
Ino  
Beza*

14. Dulcissima autem haec consolatio est, quod Christus iuxta promissionem eadem natura, qua frater noster est, se nobis coniungit. Ideo cum habeamus certum verbum, credimus Christo, et docemus, Christum nobis adesse et Deum et fratrem nostrum, non tantum natura divina, sed etiam ea, qua frater noster est, et propterea contra Sacramentarios dimicamus, quia hanc patefactam Christi voluntatem negant, et consolationem illam nobis tollere conantur.

15. Afferunt illi duo argumenta, quae Beza exaggerat, iisque innititur pertinacissime. Prius est physicum, de naturali proprietate corporis humani. Infirmum autem hoc nimis est, quia tantum physicum est, et tamen non negatur a quoque nostrum. Ut autem promissionem Christi salvam retineamus, et ei expresse nobiscum loquenti credamus, subijcimus eius potentiae et voluntati omne, quod est physicum, et iis, qui tantum phisicas habent regulas et speculationes rationis, opponimus articulos de unione hypostatica, et de sessione ad dexteram, atque ostendimus, Christum veram humanam naturam, et omnes huius essentielles proprietates in unitatem personae suae assumpsisse, hominem factum, atque etiam in gloria sua caelesti non abicere humanam naturam, neque huius idiomata  $\sigma\upsilon\varsigma\alpha\lambda\iota\kappa\alpha$ . Cum vero non tantum  $\text{ϕ}\iota\lambda\omicron\varsigma$   $\text{ϋ}\nu\delta\epsilon\omega\pi$  sit, verum Deus et homo in una persona, et secundum suam quoque humanam naturam

super





26

super omne, quod nominari potest, exaltatus, & ad dexteram siue thronum maiestatis & virtutis Dei euectus sit, ita, ut Christo etiam in humana natura, data sit omnis potestas in coelo & in terra, ideo ostendimus ex ipsius Christi verbis & promissionibus, Christum, quatenus homo est, non tantum secundum proprietates corporis naturales, in vno certo coeli loco esse posse, qui fortassis alicubi in coelo esse fingatur, sed etiam ibi esse posse, & reuera presentem esse, ubicunq; esse vult, ut in Coena, vbi se corpore & sanguine suo velle esse euidenter dixit, etiamsi id fiat supra & contra omnes phisicas corporis humani proprietates. Nam idiomata phisica, & cause secundae nequaquam infringunt, aut impediunt omnipotentiam, veritatem, promissionem & institutionem Christi, cuius potentia & virtus est infinita, & immensa, & veritas est immota. Et habet Christus Deus & homo omnes proprietates, regulas & conditiones phisicas sub se, easq; vsurpat, moderatur, regit, & dirigit ad suam gloriam, pro ut vult, & illis alligatus non est, sed ille Christo Deo & homini seruiunt & obediunt, & ad nutum ipsius promptaestant, & eius voluntati cedunt, quia Christus ut Deus prima causa est, & ut homo non est extra Trinitatem diuinam, sed Deus & homo est secunda persona in diuinitate, ac etiam in natura sua humana, quae non est extra personam ipsius, sed quae in unitatem personae Christi est assumpta, ac



cepit diuinam, immensam, ineffabilem potentiam  
& ius in omnes creaturas, causas secundas, & phy-  
cas regulas.

Posterius argumentum Bezae, quo se ad  
Inclytum Saxonie Electorem triumphare arbitra-  
tur, speciosum est rationi humanae. Christus sua  
diuina (inquit iste) potentia nobis adesse potest,  
& gubernat nos, etiamsi substantia corporis sui  
longissime à nobis absit, tam remotus, quam coelum  
à terra distat. Atq; haec maior, inquit idem, glo-  
ria est, quam si praesentiam Christi corporalem  
statuamus. Est autem planissima responsio haec:  
Nobis disputandum non est de potentia Dei abso-  
luta, & quid videatur nobis magis gloriosum esse,  
scd à verbo ordiendum est: & quia Christus in  
verbo suo praesentiam corporis sui patefecit ipse,  
& promisit euidentissime, credimus ipsi, & dici-  
mus hoc eum facillime prestare posse, quia Deus  
est, & in sua humana natura sedet ad dexteram  
Dei, subiectis sibi omnibus causis secundis & crea-  
turis.

16. Firmissima & immota sunt haec qua-  
tuor:

1. Omnia possibilia sunt Christo Deo, qui  
de corpore suo facit, quicquid vult, manente tamen  
corpore, quod cum sit vnigeniti Dei proprium cor-  
pus, omnia humana & physica transcendit.

2. Christus homo corpore suo est in coelis ad  
dexteram Dei, & in throno maiestatis & virtutis  
Dei



27

Dei, & habet sibi omnia presentia & subiecta, ita  
ut non tantum physicè in loco aliquo sit,  $\pi\delta\iota\gamma\gamma\alpha$   
 $\mu\theta\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota$ , sed immediatè in cœlis cœlorum,  
sicut Deum dicimus esse in cœlis, quia natura eius  
humana non est extra personam Christi, ideoq; non  
est extra Trinitatem, sed in ipsa, ita, ut si quis lo-  
co aliquo cœli physico circumscribere velit huma-  
nam Christi naturam, is aut naturam hanc eandem  
extra personam Christi, & extra Trinitatem con-  
stituat, aut ipsam personam Christi partim in  
throno maiestatis diuinæ esse, partim certo cœli ali-  
cuius loco physicè capi & circumscriptam detineri  
fingat. Atq; hoc est planè diuellere, & discerpere  
Christi personam.

3. Adoratio & inuocatio Christi non exclu-  
dit humanam in Christo naturam, unitam diuinita-  
ti Christi, & collocatam ad dexteram Dei Patris  
omnipotentis, quandoquidem Deum & hominem  
Christum in utraq; natura totum adoramus. Con-  
stat autem adorationem nulli rei competere, nisi  
omnipotenti Deo. Neesse igitur est, non tantum  
physicas naturæ humanæ proprietates considerari  
in Christo, sed, cum Christi humana natura hypo-  
staticè unita sit diuinitati, & collocata ad dexte-  
ram Patris, neesse est, non tantum physicè & phi-  
losophicè loqui de Christi carne glorificata, & in  
personam Christi, atq; adeò in ipsam Trinitatem,  
& huius thronum assumpta & euecta, verum  
agnoscere humiliter maiestatis diuinæ, honoris &



cultus communicationem cum carne, siue humana natura, quæ unigeniti Filij Dei propria est.

4. Vbi voluntas Christi, ibi res ipsa & factum ipsum. Constat autem de voluntate Christi ex verbo expresso, siue ex manifesta promissione presentie, quam in Cœna obsignauit, quod videlicet velit Ecclesie sue adesse etiam sua humana natura,  $\text{\textcircled{A}}\text{\textcircled{B}}\text{\textcircled{C}}\text{\textcircled{D}}\text{\textcircled{E}}\text{\textcircled{F}}\text{\textcircled{G}}\text{\textcircled{H}}\text{\textcircled{I}}\text{\textcircled{J}}\text{\textcircled{K}}\text{\textcircled{L}}\text{\textcircled{M}}\text{\textcircled{N}}\text{\textcircled{O}}\text{\textcircled{P}}\text{\textcircled{Q}}\text{\textcircled{R}}\text{\textcircled{S}}\text{\textcircled{T}}\text{\textcircled{U}}\text{\textcircled{V}}\text{\textcircled{W}}\text{\textcircled{X}}\text{\textcircled{Y}}\text{\textcircled{Z}}$

17. Ex his omnibus & singulis constat, nos verbo Christi inniti, & nec de absoluta potentia loqui, nec verbo, promissioni, & institutioni euidentiſſimæ contradicere. Illud enim præceptum quodammodo, hoc verò blasphemum est.

18. Malè quidem habet Beza, quod nolimus campum vbiuitatis, quam vocat, ingredi, sed quod dicimus, posse Christum sua humana natura, siue corpore & sanguine suo esse, vbiunq; vult esse. Disputatione enim de vbiuitate, quam orthodoxis & optimè meritis de Christi Ecclesia Doctoribus, Brentio, beatæ memoriæ, & alijs obijciunt, faciliè possunt & solent homines incautos, securos, simplices quoq; & bonos turbare: qua de causa Lutherus etiam pestis istorum turbatorum, vbiuitatis questionem seposuit. Interrogentur autem omnes fideles, sentiant ne Christum, cuius humana natura hypostaticè vnita est diuinitati, & collocata ad dexteram Patris, posse corpore suo adesse presentem, vbiunq; vult esse. Contrarium enim ipsæ fidelium aures abhorrent.

Atq;



28

At q̄; hic est status causæ, ad quem Beza aut rea-  
spondeat, aut veritati tandem acquiescat.

19. Non quidem negamus, Christum posse  
esse ubiq̄; suo corpore, quia exaltatio est supra om-  
ne nomen imperscrutabilis & ineffabilis, sicut vi-  
debimus gloriam eius suo tempore, Ioh: 17. Sed  
in hac vita non de absoluta potentia, verum de vo-  
luntate Christi ex verbo expresso iudicamus, &  
reliqua, quæ tamen nequaquam negamus, ad eter-  
nam scholam reijcimus. Interea voluntatem &  
potentiam coniungimus, quia scimus Christum esse  
omnipotentem, & esse veracem in præstandis ijs,  
quæ dixit & promisit.

20. Verbis igitur Christi simpliciter crea-  
dentes, dicimus, Christum in Cœna corpore &  
sanguine suo reuera esse præsentem, præsentia  
corporali, & per manum ministri distribuere cor-  
pus & sanguinem suum omnibus & singulis ves-  
centibus pane & vino benedictionis in Ecclesia,  
dignis & indignis, iuxta euidencia verba Testa-  
menti: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod  
pro vobis traditum est: Bibite, hic est sanguis mea-  
us &c.

21. Ludunt hodie Sacramentarij, Beza &  
alij, vocabulo præsentia, & iactitant, se non do-  
cere absentiam, sed præsentiam corporis Christi.  
Nam cum verba institutionis aperte doceant, ad  
esse, accipi & manducari corpus Christi, quoties  
pane benedictionis vescimur, & adesse, accipi,



Et bibi sanguinem Christi, quoties vinum siue  
calicem benedictionis bibimus, et hæc ver-  
ba luce meridiana sint clariora et lucidiora, ut  
qui contrarium velit affirmare, eum ne aures  
quidem fidelium ferre possint, cum manifestè Chri-  
sto laudem omnipotentie et veritatis detrahere  
conetur, ideo latebras et gyros suos serpentinos  
habent, et dicere se id, quod reuera negant, videri  
volunt. Verba enim ipsorum concedunt præsen-  
tiam, quam portæ inferorum negare nequeunt, sed  
cum definienda ipsis est præsentia illa, definiunt  
absentiam, qua nulla longior excogitari potest.  
Scriptura enim dicit: Quantum distat cælum à  
terra, tam longè fecit à nobis iniquitates. Beza  
eodem modo præsentiam corporis Christi in cœna  
definit: Quantum distat cælum à terra, tam lon-  
gè à nobis est Christus suo corpore et sanguine.  
Præclara scilicet hæc est præsentia veri corporis  
et sanguinis Christi: Præclara et Christiana  
scilicet prædicatio omnipotentie et veritatis Chri-  
sti: Præclara, nî fallor, fides, et certitudo fidei,  
quam, ut sæpe aliàs diximus, Aristoteles et ethnici  
melius tradiderunt, quàm Beza. Corpus enim  
physicè esse ἄλλοτερον, et simul et semel non  
esse in diuersis locis, nec manducari corpus, nec bibi  
sanguinem hominis, et panem esse panem, vinum  
vinum, et c. Turcæ et ethnici, diaboli, et  
omnes homines norunt, non solus Beza. At  
qualis hæc est quæso, præsentia, dicere, Christus  
homo



29

homo, vel ( ne contra Grammaticam Bezae loqui videar ) homo Christus tam propè tibi adest, quàm propè stella Saturni centro terræ adest? Verba autem Coenæ non dicunt: Ascende cogitationibus tuis supra omnes sphaeras in cœlum, & cogita te ibi imaginatione tua videre, & accipere corpus, & bibere sanguinem Christi sedentis in certo cœli loco, sed dicunt: Hoc quod adest, & quod exhibetur, quod accipis, & edis, est corpus Christi pro te traditum, & quod bibis, est sanguis Christi in remissionem peccatorum tuorum effusus, iuxta verba Christi ipsius: Accipite, edite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus. Hæc non Beza, non Imperator Turcicus, non Aristoteles, sed Christus ipsa veritas dixit. Huic si quis fidem habere vult, habeat ad salutem suam: qui verò sua humana & philosophica seu physica ratione Christum docere, reformare, & verba eius flectere & reflectere conatur, pergat sanè suo periculo, & pereat tandem iusto Dei iudicio, qui vult habere discipulos fideles, in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & huic committentes modum & rationem præstandi ea, quæ dixit ipse, & quæ nostra ratione assequi in hac vita non possumus.

22. Querit quidem Beza, quorsum opus sit præsentia substantiali, & sumptione oris, ut loquitur. Sed responsio est plana, & nota omnibus, qui Christo credunt, hæc videlicet: Christu  
sus



Stus dixit, & ita instituit, inquit: Accipite,  
edite, hoc est corpus meum, &c. Hoc ita esse iam  
credimus. Sed quid fit? Sapia iustificatur  
à filiis suis. Et cum Christus dicit, Hoc est cor-  
pus meum, illi disputant contra, Quorsum opus  
corporali presentia & manducatione? De istis  
disputatoribus Syracides loquitur: Cor stulti est  
instar rotæ in curru, & cogitationes eius, quasi  
axis versatilis: sicut equus emissarius ad quasuis  
equas adhinuit, ita hypocrita adiungit se quibus-  
uis derisoribus, & quare (inquit) dies sanctior  
habetur die, cum tamen idem sol omnes dies per  
annum faciat? Et similes sunt disputationes ho-  
mine isto Beza dignæ de creophagia, quam fœda  
mente, & fœdo ore fingit & euomit spurcissime,  
effutiens hæc verba: Si corpus & sanguis Chri-  
sti cum pane & vino distribuuntur, & ore corpo-  
ris comeduntur & bibuntur, addenda necessario  
etiam hæc sunt, quæ, velis nolis, necessario coherent,  
in ventriculum scilic. traïci, & ibi vel concoqui, vel  
non concoqui, indeq; tandem adeò vel excerni, vel  
non excerni. Hæc verba sunt Bezæ sanctissimi,  
seu potius bestia obscenissimæ, & pestis Ecclesia-  
rum Christi. Et hæc physica Bezæ est in sacro-  
sanctis mysterijs Filij Dei, Domini & Fratris no-  
stri omnipotentis, suo corpore sedentis gloriose ad  
dexteram virtutis & maiestatis Dei. Verè Be-  
za aper in horto, & sus in agro: Physica hæc  
est: Comedens vorat. Vorans dentibus primū  
terit



20

terit, præmandit, & traiecit in ventriculum, in quo concoquitur & digeritur esca, & tandem excernitur, stercore maturo. At abi Satana, & Deus te increpet, & os tibi obstruat manu furoris sui iustissimi. Nos verò Christi Iesu verbis aper-  
tissimis credimus, & dicimus, Sacrosanctum & diuinum vnigeniti Filij Dei corpus & sanguinem non tantum reuera siue reäliter adesse præsentia  $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\eta$  in Cœna, sed etiam reuera siue reäliter accipi, oreq; manducari & bibi, quia Christus dicit: Accipite, edite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus.

Hic consistimus, & ulterius non disputa-  
mus, sed imitamur discipulorum exemplum, qui Christi verbis simpliciter fidem habentes accipiunt panem, & audiunt Christum dicentem, Edite, hoc est corpus meum, & accipientes calicem, audiunt Dominum dicentem, Bibite, hic est sanguis meus.

Nulla hic physica, nulla Capernaïtica crea-  
ophagia, ( vt foedè Beza & bestialiter, more ma-  
iorum suum loquitur ) nulla comestio, masticatio,  
traiectio, coctio, digestio, alteratio, nutritio, ex-  
cretio, aut simile quippiam affingendum est diuino  
vnigeniti Dei corpori & sanguini, transcendentia  
omnia humana & physica. Nihil etiam quo-  
modo fiat illa veri, substantialis, & physici cor-  
poris manducatio, & sanguinis bibitio disputari,  
aut quæri debet, neq; potest definiri. Modus  
enim imperscrutabilis & spiritalis, id est, inuisi-  
bilis.



bilis & incomprehensibilis est, etiamsi presentia  
& manducatio sit vera & ὁμοιωμένη. Creden-  
dum est verbis Christi, quod fiant illa, quae ipse di-  
xit: Quomodo autem fiant, ipsius omnipotentiae  
& veritati committendum est. Ipse dixit, ipse  
facit, quia potens est omnia facere superabundan-  
ter, plusquam intelligimus, aut mente concipimus,  
secundum virtutem suam agentem in omnibus.

Gloriam & laudem omnipotentiae & veritatis  
Christo tribuimus, & rationem nostram in obse-  
quium Christi submitte, & libenter ac promptis-  
sima subiectissimaq; humilitate & voluntate capti-  
uamus, certo scientes, nos falli nequaquam posse,  
quia 1. omnipotentiam Christi praedicamus.  
2. veritatem & promissionem Christi allega-  
mus, 3. voluntatem in ultimo Testamento  
Christi evidentissimis verbis expressam retinemus,  
4. ori & voci eius auscultamus, & obedimus,  
eumq; ut ouiculae pastorem, audimus & sequimur.  
5. nostrum intellectum verbo Christi subijcimus,  
ita, ut etsi aliquid videatur nobis ἀντιφασικὸν ἢ  
tamen a verbis eius non discedamus, qui omni-  
potens & verax est, & seruans suae institutionis,  
& assertor sui Testamenti. 6. detestamur  
& fugimus vesanorum hominum disputationes,  
tribuentes Christo tantum ea, quae naturae physicae  
conueniunt, & Christi verba ponderantes & exa-  
minantes non iuxta omnipotentiam & voluntatem  
veritatemq; Christi, sed iuxta regulas rationis, &  
conditiones.



conditiones, & proprietates humanas & physticas. 7. simpliciores & dociles erudimus, patienter toleramus, & lucrifacere studemus.

Atq; hæc sunt veluti capita quædam comprehendentia doctrinæ summam, de qua controversia orta est. Faxit DEVS propitius, vt animi hominum acquiescant veritati Christi, & verâ veræ fidei confessione & coniunctione cõalescant, ad gloriam & laudem nominis diuini, & propagationem & conseruationem doctrinæ cœlestis incorruptæ, vt stare ante thronum IESV Christi possimus hilares in iudico extremo, Amen.

**N**VNC ad te, Beza, redeundum mihi est, & cum, quæ ad causam pertinent, potissimum in præfatione directa ad Illustrissimum Electorem Saxonie AVGVSTVM, Dominum meum Clementissimum, exponere volueris, aliquid de præfatione tua dicendum est, quod vt commodius fieri possit, teipsum audiemus, & hypomnemata paucis tuis verbis subiungemus, vt collatio ostendat, quid inter nos agatur.



**BEZA**





**BEZA.**  
**THEODORI BEZAE**  
modesta & Christiana re-  
sponſio.

**SELNECCERVS:** Inſcriptio conue-  
nit cum dicto Chriſti: Similes eſtis ſepulcris de-  
albat̄is, quæ extra quidem apparent ſpecioſa, intus  
verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni im-  
munditia.

**BEZA.**  
**AD D. NICOLAI SEL-**  
necceri maledicam & virulentam  
tam reſponſionem.

**SELNECCERVS:** En ſtatim modeſtiæ  
& Chriſtiani pectoris exemplar, atq; ſpeculum.  
Sit autem iudicium penes optimos quosq;: Vis enim  
verbis, quibus debui, ad maledicam & virulentam  
Bezæ diſputationem, reſpondi, & fortassis ita, ut  
boni inde perſpexerint, me rebus, non verbis riti.  
Beza verò pro ſua in nos autoritate ſibi perſua-  
det, cum maledicè & virulenter alios immerentes  
adoritur, impunè ſe hoc facere poſſe, neq; quida-  
quam ab ijs, quos turbat, ſibi reſpondendum eſſe,  
qui cum etiam inuiti reſpondent, & ſe ab homine  
iſto contumelioſè traduci, mendacijsq; & calum-  
nijs incredilibus deformari queruntur, crimen  
leſe



22  
lase maieftatis perpetrarunt, lupo aquam, ceis  
agnus, iudicio ipsius tanti censoris, turbasse dicun-  
tur. Adorari enim, & recte fecisse videri vult,  
sibiq; insuper ad iniurias illatas agi gratias iubet.  
Atq; hæc causa est, ob quam cum socijs suis superbe  
& arroganter regerat culpam maledicentiae & vi-  
rulentiae suae in eos, qui criminationibus hominis,  
fide & conscientia salua, respondere coacti sunt,  
quemadmodum exemplo est hoc ipsum, quod mecum  
instituit, certamen.

## BEZA.

ILLVSTRISSIMO PRIN-  
cipi, ac Domino, D. Augusto, Duci  
Saxoniae, Electori, S. Romani Im-  
perij Archimarschallo, Landgrauio  
Thuringiae, Marchioni Misniae, Burg-  
grauio Magdeburgensi, &c. Domi-  
no suo Clementissimo.

SELNECC: Tuas, Beza, machinatio-  
nes agnoscimus, & habes fortasse patronos tuos at-  
q; loues. Verum qua fronte, qua imprudentia, &  
impudentia Principem Electorem coneris tibi, &  
factioni tuae conciliare, nouit Deus, vident boni, do-  
lent pij, gaudent mali: Quem Principem ita nobis  
policemur affectum erga doctrinae coelestis purita-  
tem & veritatem, vt etiam cum vite discrimine,  
E (quod



(quod ne fiat, faxit Deus) aduersus corruptores  
veritatis, confidamus Heroicam ipsius Celstatem as-  
serturam esse agnitæ veritatis professionem & con-  
stantiam, si res, quod absit, ita postulet, etiam si  
nunc nubecula quædam vestris fucis & fumis exa-  
rata, interposita videatur. Ego profectò, si quis  
quam alius, didici & expertus sum, cum in  
aula Dresdensi ad octennium Ecclesie Christi ser-  
uirem, generosissimum Principis animum verè ab-  
horruisse à delirijs tuis & tuorum: quam laudem  
constantie Christianæ in veritate agnita animus  
Principe viro dignus profectò non facile deponet ad  
tuas hypocriticas vanasq; delationes & euersiones.

BEZA.

**M**irantur hodie & indigne ferunt  
multi Princeps Illustrissime,  
quum his annis quadraginta tot acer-  
rimum tum ciuilia tum externa omnia  
um orbis gentium bella vel sua spon-  
te conciderint, vel certis pactionibus  
direpta sint, solum istud bellum Theo-  
ologicum inter eos, qui se pacis inter-  
nuntios profitentur, non modo desin-  
nere non posse, verum etiam magis  
ac magis efferuescere, & vt interdum  
sopitum videatur, velut Aet-  
næum quoddam incendium exundans,  
Ecclesia.



**Ecclesiarum Christianarum cāmpo  
longe lateqꝫ populari.**

23

SELNECCERVS: Rectē, Beza, de-  
ploras statum Ecclesie mutuis contentionibus homi-  
num inquietorum afflicte supra modum. Causas  
autem si perscrutari quis conatur, quid ille dicet  
aliud, nisi quod veritate neglecta vestro cerebro  
indulgeatis? Certatum est, ne de alijs contro-  
uersijs iam dicam, haftenus vobiscum de presentia  
& manducatione vera veri corporis Christi in  
Coenae Domini administratione, iuxta eviden-  
tia verba Testamenti Filij DEI. Vos illam sub-  
dole & per ambages multiformes negastis, &  
adhuc, quidquid sanē subterfugij queratis, perpe-  
ram negatis. Queritur igitur, vobis ne cedendum  
sit? Responso plana est: Cedat diabolus, cedat men-  
dacium: Christus & veritas maneat, quandoquidē  
scriptum est: Coelum & terra peribunt, verba autem  
mea non peribunt. Non autem tantum negatione ista  
praesentiae veri corporis contenti fuistis, sed insuper  
articulum fidei de ascensione Christi in caelos ita  
ausi estis contaminare, vt Christum suo corpore cir-  
cumscriptum alicubi in caelo ita esse, & vt tu con-  
tendis, caelo capi, contineri, comprehendi, & detine-  
ri, diceretis, vt alibi nusquam in terris, praesertim  
in ministerio suo & Coenae administratione, eti-  
am si velit, (sicut velle se dixit) esse possit. Huius-  
modi blasphemiae, quam nunc defendere conaris,  
resistendum esse clamitant & hortantur caeli caelo-

E 2

rum,



rum, angeli, homines pii, & uniuscuiusq; , qui non  
est plane ad ἀπκλγκηόταε referendus, conscientia  
& fides, & rationis olim Filio Dei dandæ conside-  
ratio, imò ipse Christus Filius DEI & hominis,  
DEVS, Dominus & frater noster, ita, vt pera-  
iuri, perfidi, leuissimi, ingratisimi, & omnium  
creaturarum pessimi diceremur meritò, si linguam  
cohiberemus ad vestras maiestatis Christi fratris no-  
stri extenuationes & elusiones. Sed quid fit?  
Vobis quia cedere nec volumus, nec possumus, nec  
debemus, nisi periuri fieri velimus, quod absit, voci-  
feramini, heu heu, pax nulla. At quis pacem im-  
pedit, quis remoratur tranquillitatem publicam &  
priuatam? Ille nē, qui veritati contradicit, an-  
qui veritatem oppugnanti se opponit? Vera au-  
tem nos docere, veritas ipsa euincit, quia Christi  
verba habemus, quibus vos affingitis phisicas, ina-  
nes, blasphemias, & ab omni fide Christiana alienas  
glossas. Aliter enim loqui in re maxime ardua  
me non decet, & vera me dicere, Sole meridiano cla-  
rius est, licet ringatur & insaniat Princeps mundi,  
& huius satellitium, mundanum & aulicum. Hæc  
verò, qui sint, vt intelligatur, continuatores belli  
istius Theologici, vos nimirum Sacramentarij, non  
nos harum Ecclesiarum Saxonicarum ministri, com-  
memorare volui, ne putes, Beza, nos ignorare, qui  
sint autores & prorogatores belli istius Theologi-  
ci, quod tamen tanquam febrim, vt tuis verbis vtar,  
potius sustinemus, quam vt paralysin vestram, mo-  
tund



24  
tum vitæ & gloriæ Christo auferentem, longius ser-  
pere, & radices in Ecclesijs nostris agere permit-  
tamus.

Vt autem Christianus lector scire & dijudi-  
care possit, bellum, quod vocas, Theologicum, non  
de lana caprina, sed de re maxima & sacrosancta  
inter eos, qui Christi verba profitentur, & anta-  
gonistas, qui iisdem contradicunt, geri, & nobis  
inuitis, horrificum certe, nefarium, & omni imbu-  
tum odio à te & tuis inferri, etsi illud omne ex ijs,  
quæ suprâ iam dicta sunt, facillimè cognosci possit,  
tamen operæ precium esse videtur repetere collatio-  
nem veritatis, & mendaciorum. Repetatur igi-  
tur hæc collatio.

## DE PERSONA CHRISTI.

### CALVINISMVS. LUTHERA- nismus.

Christus naturales pro-  
prietates corporis hu-  
mani ita assumpsit, habet,  
& retinet, vt suo corpo-  
re alibi nusquam possit  
esse, nisi in vno certo lo-  
co: alioquin enim corpus  
physicum non esset cor-  
pus

Christus veram huma-  
nam naturam, & omnes  
huius essentielles propri-  
etates in vnitatem perso-  
næ suæ assumpsit, homo  
factus, atq; etiam in sua  
gloria cœlesti non amit-  
tit humanam naturam,  
E 3 nec



### Calvinismus.

pus, si admitteret ea, quae corporis non sunt propria. Nihil igitur humana natura in Christo assumpsit, & nihil habet, quod superet conditionem & proprietatem humane naturae. Quapropter etiam si Christus dicat, se corpore suo, & sanguine suo in Coena esse presentem presentia corporali, tamen cum haec verba pugnent cum physicis proprietatibus, siue naturalibus idiomatis corporis humani, affingenda est verbis illis congrua sententia, quae sit analogica physicis idiomatis. Nam omnipotentia & veritas Christi nihil, quod physicas proprietates superet, admittit. Et veritas divina, atque veritas physica, non sunt contrariae, etiam

### Lutheranismus.

nec abiicit huius idiomata φυσικὰ. Quia verò non nudus homo est, sed DEVS & homo in vna persona, & secundum suam humanam naturam super omne, quod nominari potest, exaltatus est, ita, ut CHRISTO etiam in humana natura, omnis potestas in caelo & in terra data sit, ideo non tantum secundum naturales proprietates corporis in vno certo caeli loco esse potest, sed etiam ubicunque vult esse corpore suo, ibi esse potest, ut in Coena, in quo se corpore suo & sanguine esse dixit, etiam si id fiat supra & contra naturales proprietates corporis humani. Nam idiomata physica non impediunt omnipotentiam, veritatem, & promissionem, siue



Calvinismus.

amisi interdum dispensatio fiat, quae non evertit naturalia idiomata, ut cum Christus ambulavit super aquas.

Lutheranismus.

sive institutionem Christi, cuius potentia & virtus est infinita, & immensa, & veritas immota.

Proprietates naturae humanae in Christo sunt physicae, & manent immotae, & immutabiles, ita, ut etiam si Christus secundum divinam naturam sit omnipotens, & humanam quoque suam naturam exornauerit donis excellentibus, quae tamen non sunt divina dona, sed sunt creata dona, tanta, quanta capere potest humanae naturae conditio: tamen contra aut supra proprietates istas physicas fieri nihil possit. Manet circumscriptio corporis in aliquo certo loco,

Non evertit, non amittit, non abiicit Christus naturales proprietates humanae suae naturae, sed quia Deus est, & quia etiam in humana sua natura accepit omnem potestatem in caelo & in terra, potest facere omnia, quae vult, etiam ultra, supra, & contra omnes proprietates & conditiones physicas, quas ipse Deus & homo habet sub se, easque usurpat, moderatur, & regit ad suam gloriam, prout vult, nec tamen illis alligatus est, tanquam causis secundis, quia ipse ut Deus prima causa est.





### Caluinismus

eo, & manet regula physica, corpus non penetrare dimensiones, & simul & semel non esse posse, etiamsi velit, in diuersis locis: idq; omne ita est, manetq; immotum, non tantum in hominibus alijs, sed etiam in Christo homine.

Deus non potest facere, ut corpus vno & eodem tempore sit diuersis in locis. Et corpus etiam vnigeniti Dei manet in conditione naturæ humanæ, solo peccato excepto, & nihil habet, quod superet conditionem humanam.

Hyperphysica nulla admittimus. Mariam Christum peperisse crucientam, nixu naturali, dicimus.

Carnens

### Lutheranismus.

& ut homo non est extra Trinitatem diuinam, sed Deus & homo est secunda persona in diuinitate, ac etiam in natura sua humana, quæ non est extra personam ipsius, sed quæ in vnitatem personæ Christi assumpta est, accepit diuinam, immensam, ineffabilem potentiam in omnes creaturas.

Omnia possibilia sunt Deo, qui de corpore suo facit, quicquid vult, & tamen manet corpus, quod cum sit vnigeniti Dei corpus, omnia humana & physica transcendit.

Certè præter, ultra, supra, & contra idiomata humanæ naturæ, plurima diuina, & hyperphysica in Christi corpore facta.







Calvinismus.

Idioma non est, adorari.  
Inuocamus tamen totum  
Christum, sed per com-  
municationem idioma-  
tum, seruatis vtriusq;  
naturæ proprietatibus.

Humana natura in  
Christo non habet maie-  
statem & gloriam diui-  
nam. Diuinitas nihil cõ-  
municauit reäliter hu-  
mane naturæ in Christo.  
Cõmunicatio est tantum  
forma loquendi de perso-  
na Christi, non est realis  
& vera cõmunicatio di-  
uine maiestatis & glori-  
æ, cuius humana in Chri-  
sto natura particeps fi-  
at. Nullum enim idioma  
communicatur.

Testimonia scripturæ,  
quæ de glorificatione lo-  
quuntur, de tota perso-  
na Christi sunt intelli-  
genda, non de humana  
naturæ

Lutheranismus.

mo, à nobis similiter,  
Emanuel, καὶ ἐπίο γινώσκῃ  
omnipotens, DEVS &  
frater noster, totus Chri-  
stus, sine diuulstone.

Maiestatem autem  
& gloriam hanc, huma-  
na natura in Christo non  
habet à se, ex se, secundis  
& per se, siue scorsim  
extra personam Christi  
posita in abstracto, sed  
à Filio DEI sibi com-  
municatam, non titulote-  
nus, non verbaliter, sed  
reuera, cum Deitate ver-  
bi vna persona insepara-  
biliter vnita.

De hac communicatã  
& donatã humane in  
Christo naturæ maiesta-  
te & gloria diuina, sunt  
accipienda scripturæ tes-  
timonia



Calvinismus.

natura, aut carne Christi. Accipienda enim sunt dicta illa per communicationem idiomatum, retentis utriusque naturae essentialibus idiomatis, ita, ut caro Christi nihil habeat maiestatis divinae.

Mihi Christo reddita est omnis potestas, quia antea verbo requiescente in statu humiliatiōnis, mea potestas divina se non exeruit.

Nulla

Lutheranismus.

stimonia, ut erudita, pia, et orthodoxa antiquitas semper docuit: Psalm. 8. 1. Corinth. 15. Ephes. 1. Omnia subiecisti pedibus Filij hominis. Psalm. 110. Sede a dextris meis. De corpore dominico haec dicta sunt, inquit Athanasius, Chrysostomus, et alij. Psalm. 45. Deus tuus oleo letitiae unxit te plus, quam consortes tuos. Matth. 11. Omnia tradita mihi sunt a Patre, mihi scilicet homini. ἅπαντα γὰρ ἐδώκεν αὐτῷ enim haec dicuntur de assumpta humana natura, ut Athanasius et orthodoxi omnes docent. Matth. 28. Mihi (homini, Iesu Nazareno) data est omnis potestas in caelo et in terra. Dan. 7. Filio hominis data est a Patre aeterna potestas. Ephe. 1. supra

omnis





### Calvinismus.

Nulla fit communicatio  
idiomatum. Retinentur  
proprietas utriusque na-  
turae. Humana vero na-  
tura habet sua dona pe-  
culiaria, sed creata, non  
diuina, sed physica, non  
hypera

### Lutheranismus.

omne, quod nominatur.  
Philipp. 2. supra omne  
nomen Apocal. 5. Agnus  
occisus accepit potesta-  
tem eternam, Actor. 2.  
factus Dominus, 1. Pet. 3.  
subiectis sibi angelis,  
Matt. 26. sedens ad dex-  
teram virtutis, Hebr. 1.  
maiestatis in excelsis,  
Hebr. 7. excelsior caelis,  
Heb. 8. in throno maie-  
statis, Hebr. 12. in throno  
Dei, Eph. 4. omnia re-  
plens, 1. Petr. 2. Omnes  
thesauri sapientiae in ip-  
so absconditi sunt. Tota  
diuinitatis plenitudo ha-  
bitat in ipso  $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$   
&c.

Quomodo autem haec  
omnia fiant, & qua ratio-  
ne communicatio illa,  
non physica, non essentia-  
lis, non etiam verbalis,  
sed vera & realis, diuina  
& hyperphysica, sine  
confusione



Calvinismus.

hyperphysica. Et Christus non est omnipotens in sua humana natura. Creator enim, qui solus est omnipotens, non communicat ulli creature suam maiestatem et gloriam, quae est idioma diuinae naturae.

Humanae naturae in Christo dona tantum sunt creata dona, quanta capere et sustinere potest conditio humanae naturae, maiora tamen, quam aliarum creaturarum dona. Et idolatra est, qui plus tribuit humane in Christo naturae, quam proprietas et conditio eius perferre potest. Caro est caro, humana natura est humana natura: corpus est corpus. Nihil hic est diuinitatis, sed omnia physica sunt, et physica

Lutheranismus.

confusione et exaequatione naturarum et proprietatum fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio atque firma fide suscipimus, et totum Christum retinemus.

Manifesta igitur blasphemia est, detrabere homini Christo communicationem maiestatis et virtutis diuinae. Hoc enim modo Filius hominis de dextera Dei detrahitur, et negatur esse Deus, qui est homo. Quid prodest ornare postea eum titulo diuino, et tantum creatis donis? Quomodo constabit unio unprosalium diuinae et humanae naturae in Christo, si natura assumpta ponatur extra maiestatem? cum id aliud nihil sit, quam ponere eam



**Calvinismus.**

eis regulis obnoxia,  
alioqui caro non esset  
carno.

Etiam de Christo  
verum est humanam  
eius naturam habere se  
physice, & nihil accipi-  
sse, quod superet condi-  
tionem & proprietate-  
tem humanam. Qualis  
Adam

**Lutheranismus.**

eam extra personam Fi-  
lij Dei: quomodo con-  
stabit adoratio carnis  
Christi, si ea sit absq;  
maiestate & virtute di-  
uina? atq; his ita conuul-  
sis, quam ratum erit Tea-  
stamentum Christi, imò  
quid reliquum erit nobis  
de tota religione Christia-  
na?

Quòd à nonnullis obje-  
citur, non communicari  
maiestatem diuinam ulli  
creature, quantumuis  
excellens donis or-  
nate, verum omnino  
est de creaturis extra  
DEVM, non verum  
est de humana natura  
in CHRISTO, que  
non est extra trinitatem,  
(nisi Quaternistarum  
blasphemias admittere ve-  
limus, & Nestoriana de-  
liria, qualia sunt hodie  
Sacramentariorum, apa-  
probare) sed in persona  
Christi



### Caluinismus.

Adam fuit ante lapsum, talis Christus est in natura sua humana, & tamen vnus est Christus Deus & homo, & à nobis inuocatur, per idiomatum communicationem (quæ tamen realiter est nulla) seruatis vtriusq; naturæ idiomatis.

Filius Dei adest presens suo ministerio & in Coena in terris, sed non secundum humanam suam naturam, verum tantummodo iuxta diuinitatem suam. Nam secundum humanam naturam est in cælo alicubi, remotior

### Lutheranismus.

Christi est ad dexteram omnipotentis Dei euectus, in throno maiestatis diuine, vno & eodem adorationis cultu ab omnibus angelis & hominibus celebranda, ita, vt cum dicimus, Pater noster, qui es in cælis, semper hac ipsa compellatione etiam Christum in sua humana natura inuocamus, quia totum Christum adoramus.

Cum igitur hec omnia verissima sint, & ab omnibus inferorum portis non possint impugnari, licet insaniat & ringatur Princeps mundi, certum iam est, Christum adesse suæ Ecclesie, ministerioq; verbi & Sacramentorum, presentem, tanquam caput, non solum secundum diuinitatem suam, sed etiam secundum



### Caluinismus.

remotior à nobis, quàm  
coelum à terra distat.  
Et Christus corpore suo  
non potest esse alicubi,  
nisi localiter, visibiliter,  
comprehensibiliter, &  
sensibiliter, siue physi-  
cè.

Quando Christus ait:  
Mundum relinquo, &c.  
intelligit totalem absen-  
tiam humanitatis suæ,  
non tantum à terris in  
vniuersum, sed etiam ab  
Ecclesia

### Lutheranismus.

cundum humanam suam  
naturam, quia totus Chri-  
stus, Deus & homo, ad-  
est Ecclesie suæ in terris,  
& officium Mediatoris  
perficit, & suam præ-  
sentiam, quæ etiam fit  
per naturam eius huma-  
nam, peculiari sigillo in  
sua Coena testatus est, &  
confirmauit. Christus  
enim corpore suo potest  
esse, vbi vult esse, & vbi  
se velle esse dixit, & pro-  
misit in verbo suo, idq;  
non tantum physicè, sed,  
cum sit omnipotens, &  
verax, hyperphysicè,  
coelesti, imperscrutabili,  
incomprehensibili, & in-  
uisibili modo.

Quando autem Christus  
inquit: Relinquo mundum,  
non sum amplius in mun-  
do: me non semper vobi-  
scum habetis: & quando  
Patres disputant de ab-  
sentia



Caluinismus.

Ecclesia sua, à ministro  
rio verbi, ab administra  
tione Sacramentorum,  
in primis à Coena, ita,  
vt nec inuisibiliter, nec  
visibiliter nobiscum esse  
possit corpore suo.

Christus ita ascendit in  
caelum empyreum, vt  
alibi nusquam suo cor  
pore esse possit, nisi in  
aliquo loco caeli, &  
vt homo caelo capiatur,  
& contineatur vsq; ad  
iudicium nouissimum,  
corpore suo circumscri  
ptus, & loco certo com  
prehensus, vt nobiscum  
in terris, in sua Ecclesia  
praesens *ὡμαλινῆ ἄδ*  
*εἶ* esse nequeat. Sedet  
autem etiam vt homo  
ad dexteram Dei ideo,  
quia potentia eius est  
maior

Lutheranismus.

sentia Christi secundum  
carnem: non intelligunt  
absentiam corporis & san  
guinis Christi à coena, sed  
loquuntur de manifesta,  
& visibili praesentia, con  
uersatione & cohabitati  
one Christi secundum na  
turam & conditionem  
huius vitae terrena in  
mundo.

Ascendit Christus in coe  
lum corpore suo, sed non  
ita, vt alibi nusq; esse pos  
sit, nisi in certo loco ali  
quo corporei caeli, sed  
quod illud ipsum corpus  
euexerit ad dexteram ma  
iestatis & virtutis Dei:  
quocirca etiam illo suo  
corpore potest esse, vbi  
cunq; vult esse, & vbi se  
velle esse dixit, vt in coena  
diuersis in locis. Nam  
praesentia corporis &  
sanguinis Christi in Coe  
na non modo non infir  
matur per articulum as  
cen  
sionis



**Caluinismus.**

maior, quam angelorum, Eliae, & beatorum potentia, letitia, lux, & dignitas, & quia rex & sacerdos est non tantum ut Deus, sed etiam ut homo: Non verò ita sedet ad dexteram Dei, ut etiam in natura sua humana habeat omnem potestatem in caelo & in terra, maiestatem & gloriam diuinam, & possit esse corpore suo inuiolato, ubicunq; vult esse, contra, supra, & praeter physicas proprietates corporis humani.

**Lutheranismus.**

cenfionis Christi in caelum, sed planè affirmatur & confirmatur. Habemus enim fratrem nostrum, Emanuelem, Deum, Dominum, carnem & sanguinem nostrum, Iesum Christum, sedentem ad dexteram omnipotentis patris, omnibus caelis excelsores, omnia gubernantem, omnia audientem, cognoscentem, videntem, nobis praesentem, nobis astantem, nos exaudientem, iuuantem, liberantem, saluantem. Cum hoc Deo & fratre nostro omnipotente triumphabimus, & letabimur contra omnes inferorum portas, nedum contra misellos sacramentarios, & alios similes. Ei cum patre & spiritu sancto sit laus, honos, gloria, gratia, in omnem aeternitatem, Amen Ipse faciet, ipse iudicabit.

DE



31

## DE COENA.

### Calvinismus.

Christus ut ubiq; totus est, sed non totum, ita etiam in coena est secundum diuinam suam naturam, non autem corporali praesentia, & distribuit corpus suum & sanguinem non verum, sed ἑοπιμὸν ἑοπιμῶς, *imaginationem, metaphoricum, spiritualiter.*

Quid sit illud, quod in coena ore corporeo accipimus, ostendit ratio nostra, & sensus naturalis, videlicet, quod sit panis, & vinum. Verba autem Christi [ hoc est corpus meum ] tropicè sunt accipienda. Est, pro, significat

### Lutheranismus.

In Coena Domini Christus corporali praesentia adest verè & substantialiter totus & totum, & per manum ministri sub pane & vino benedictionis, distribuit & exhibet, vescitibus, verum suum corpus & sanguinem, inuisibiliter, & incomprehensibiliter, ac insensibiliter, iuxta verba & veritatem sui Testamenti: Accipite, edite, hoc est corpus meum, &c.

Quando quaerimus, Quid sit illud, quod in Coena ore nostro corporeo accipimus, ipse Christus nobis respondet: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Accipimus igitur ore nostro, & edimus



### Calvinismus.

ficat, ut sit signum corporis, vel figura: vel ut sit corpus *vox τὸ π.* imaginatiuum, quod spiritualiter per fidem tantum apprehendi possit. Concedimus igitur, & dicimus, Corpus Christi in coena dari & accipi, sed intelligimus corpus *vox τὸ π.* & spirituale usum.

Filius Dei in coena verè & essentialiter, siue substantialiter praesens, dat nobis corpus edendum, & sanguinem bibendum. Praesens autem est verè & substantialiter secundum suam diuinitatem, qua omnia replet, non secundum suam humanam naturam: & dat corpus & sanguinem spiritualiter, credentibus. quod corpus tamen non adest praesens, nec accipitur ore nostro in terris, sed in caelis

### Lutheranismus.

mus id, quod Christus nos accipere & edere iubet, corpus videlicet Christi, & bibimus sanguinem Christi.

Non tantum spiritualiter per fidem corpus Christi accipimus, sed etiam corporaliter ore nostro cum pane & vino verum corpus & sanguinem Christi accipimus, modo nobis incognito, & omnem captum humanam rationemque naturalem superante.

Modum



**Calvinismus.**

caelis est à nobis absens,  
ἄγιος ἁγίος & conten-  
tum in certo caeli loco.

Ratione nostra uti, &  
hanc consulere debemus.  
Ea dicit: Corpus est cir-  
cumscriptum, & est in  
certo loco, & non potest  
simul & semel esse in di-  
uersis locis. Et Deus ipse  
non potest sua omnipo-  
tentia, etiam si velit, hoc  
efficere, ut corpus ἄγιος  
ἁγίος sit simul & se-  
mel in diuersis locis.

Qui dicit, verbis Chri-  
sti simpliciter credendū  
esse, is est Capernaïta,  
Thyestes, Creophagus,  
Idolophagus, Deiuorus,  
αἱμοπότος, sanguipo-  
tor, sanguiuorus, come-  
stor sui Dei, &c. Simpli-  
citas autem nostra non  
debet rationi esse con-  
traria. Et verbum Dei  
datum

**Lutheranismus.**

Modum ratione nostra  
nec debemus, nec volumus  
nec possumus scrutari,  
sed rationem nostram ca-  
ptiuamus in obedientiam  
Christi, & verbis Chri-  
sti credimus, & sumus  
discipuli Christi: ipse di-  
xit, ipse potest. Quomo-  
do igitur fiat id, quod di-  
xit, eius omnipotentiae,  
& veritati committimus.

Capernaïticas & car-  
nales imaginationes de  
comestione, coctione, di-  
gestionem, fugimus, exe-  
cramur & detestamur.  
Christo credimus, dicen-  
ti: Accipite, edite, hoc  
est corpus meum, quod  
pro vobis traditum est.  
His verbis innitimur, &  
acquiescimus, & absur-  
ditates





Calvinismus.

datum nobis est, ut ratione nostra illud apprehendamus, meditemur, pensitemus, examinemus.

Lutheranismus.

ditates omnes abrumpimus, nec ulterius disputamus. Ipse dixit, ipse facit. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Corpus autem Christi nec conteritur, nec digeritur, sed corpus est et manet corpus, à nobis autem accipitur iuxta verba Testamenti, eo modo, quem ipse testator Iesus Christus novit.

Modus presentiae, exhibitionis, et manducationis est spiritualis, et tantum per fidem perficitur. Corpus autem et sanguis Christi nullo modo corporaliter  $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\eta$   $\pi\acute{\alpha}\sigma\sigma\iota\alpha$  assunt, multo minus exhibentur, et manducantur. Particulas, In et Sub reijcimus. In inclusionem, sub compressionem, cum consubstantiationem significat.

Indigni

Et quia modum ignoramus, ideo dicimus, Panem esse corpus Christi (ut ipse Christus loquitur) vel esse  $\kappa\omicron\upsilon\omega\nu\iota\omicron\upsilon$  corporis, siue participationem naturalem: vel in, cum, sub pane dari nobis, et accipi à nobis verum corpus Christi, et in, cum, sub vino bibi verum sanguinem Christi: non ut inclusio, transsubstantiatio, aut consubstantiatio

vlls



Calvinismus.

Indigni, cum spirituali manducatione careant, carent etiam participatione corporis & sanguinis Christi, & nihil aliud, nisi panem & vinum accipiunt. Rei autem fiunt corporis Christi, quia respuunt oblatum usum spirituales, & beneficia Christi. Iudam verò interfuisse Coenae ambigimus, licet Historia, Augustinus, & Ecclesiastici Doctores Iudam interfuisse ostendant.

Concludimus ergo, & dicimus Corpus Christi praesens

Lutheranismus.

23  
vlla physica fingatur, sed vt ostendatur, nos verè accipere corpus Christi verum, cum panem benedictionis accipimus, &c.

Et quia Christus non tam pijs suis discipulis, quam etiam proditori suo Iudae impio dedit panem, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: ideo etiam indigni in Ecclesia non tantum externa signa, id est, panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem Christi accipiunt, sibi ad iudicium, & rei fiunt corporis & sanguinis Christi, vt Paulus euidenter affirmat, licet modus participationis nobis planè incognitus sit.

Concludimus ergo, & dicimus, Corpus Christi verè  
F 4



### Caluinismus.

præfens non esse in cœna, sed in certo cœli loco, & tam procul abesse à cœna, quàm longè distat cœlum à terra: & nos in cœna verū Christi corpus ore nostro nō accipere, sed spiritualiter tantummodo per fidem ascendentem in cœlum, ubi corpus Christi est localiter contentum, & imaginantem sibi cogitatione propria coniunctionem cum corpore Christi, & nos non fieri participes substantiæ corporis Christi in cœna, quia corpus non adest, sed accipere virtutem, operationem, efficaciam, siue beneficia absentis corporis Christi per fidem: & indignos tantum externa elementa, non verò corpus Christi ore suo accipere: atq; ita tantum vnā esse

### Lutheranismus.

verè & substantialiter præfens adesse, vbiunq; in terris Cœna Domini iuxta institutionem Christi celebratur: & nos in Cœna ore nostro verum Christi corpus accipere, quoties pane benedictionis vescimur: & indignos suo quoq; ore verum corpus Christi manducare: atq; ita duplicem esse manducationem, vnā, qua vescentes pane accipiunt ipsum corpus, siue ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi: alteram, quæ est spiritualis, & propria dignorum siue credentium, qui agunt poenitentiam.

Huius



### Caluinismus.

esse manducationem, spiri-  
ritualem scilicet, qua  
sublata nihil restat, nisi  
panis & vinum.

Nostræ doctrinæ funda-  
mentum est: Primum, re-  
gula physica: Corpus  
verum oportet in vno  
loco esse, & non potest  
simul & semel in diuer-  
sis esse locis. Secundò,  
absurditas doctrinæ de  
corporis & sanguinis  
naturali participatione:  
Tertiò, articulus de  
ascensione Christi ad  
cœlos. Corpus igitur  
Christi est in cœlis, &  
Christus corpore suo,  
quod localiter cœlo ca-  
pitur & continetur, non  
potest esse præsens in  
terris, siue in Cœna, si-  
ue alibi.

### Lutheranismus.

Huius doctrinæ, fidei,  
& confessionis inuictum,  
immotum, & infallibile  
fundamentum est, Testa-  
mentum & Institutio  
Christi, qui est veritas,  
& vita, & fallere nemi-  
nem vult, & est seruans  
sue institutionis. Aut  
igitur credamus verbis  
Christi [Accipite, edite,  
Hoc est corpus meum,  
quod pro vobis traditur]  
aut negemus Christum  
esse Omnipotentem, &  
veracem, quia medium  
nullum est. Si credimus  
Christum esse verum De-  
um, esse omnipotentem,  
& esse veracem, utiq; eti-  
am credimus, posse &  
velle eum præstare ea,  
quæ dixit & promisit,  
etiamsi modus, quomodo  
fieri illa possint, nobis in-  
cognitus, & ratio nō-  
stræ contrarius sit.

F S [BEZA



**BEZA.** Huius autem plane deplorandi mali qui causas perscrutantur, non vnum idemque sentiunt, ex quo longe tristissimum illud consequitur, ut dum non intellecta morbi causa, vel nulla, vel incerta, vel etiam ipso malo deteriora remedia vsurpentur, insanabile sensim malum euadat.

**SELNECC:** Pij & eruditi omnes morbi causam intelligere iam dudum didicerunt, quae nulla est alia, nisi quod verbis Christi, qui est ipsa veritas immota, sese ratio humana tua subijcere & credere dedignatur.

**BEZA.** Alij perpetuitatem huius intestini belli non modo non mirantur, sed etiam vsque adeo negligunt, ut sicut medici febrim in paralyti, pene pbandum ac fouendum illud putare videantur. Aiunt enim hanc esse Ecclesiae conditionem, ut sit illi *ἄσπονδος* & *πόλεμος* cum externis simul ac domesticis hostibus: & bono Ecclesiae cedere, ut non tantum schismata, sed etiam haereses existant, ut qui probati sunt, manifesti fiant: Alij damnant ista quidem, sed



35  
sed prout suæ illos opiniones trahunt,  
in hunc vel illū quemuis potius, quam  
in istorum malorum auctores culpam  
omnē deriuant. Iacet interea lāguens  
Ecclesiæ corpus, eo redactum, ut a nul-  
lis magis lædatur, quam ab ijs ipsis, qui  
se medicos ipsius profitentur. Itaq; nō  
defuerunt, nec etiam desunt qui quod  
in desperatis morbis fieri solet, omnia  
tempori, seu potius Dei prouidentia  
relinquenda putent; nec prorsus tentan-  
dum quicq; non modo sententijs, ve-  
rum etiam ipsarum opinionum vel au-  
ctoribus, vel defensoribus tam inter se  
pertinaciter confligentibus? Hic ego  
vero quid dicam, qui nec sententiam  
roger, nec, si habeam, ea sim auctori-  
te, cui fides habeatur? Imo quis me in  
alios dicentem ferat, cui potius pro se  
dicenda causa videatur? Dicam tamen  
aliquid apud te Illustriss. Princeps,  
summa tum æquitate, tum humanitate  
tua fretus, de hoc quoq; exultans, &  
Deo Opt. Max. grarias agens, quod  
tu sis vnus inter omnes ab eo, qui cum  
nunc mihi res est, ad hæc cognoscen-  
da



da delectus. Id vero si forte fecit ille  
audacius, & ἄρ' ἂν πρέπον, sustineat ipse  
se culpam omnem oportet.

SELNECC: Audacia tua, mi homo,  
in temeritatem & impudentiam extremam degenera-  
rat. Ego quod feci, optimo & subiectissimo ani-  
mo feci, apud Principem eum, cui & seruijssem an-  
tea, & operam quantulamcunq; meam pollicitus es-  
sem, & agnosci ac dijudicari veritatem petij, &  
nihil aliud. Tu vero vere ἄρ' ἂν τὸ πρέπον homo  
externus audacter siue sponte tua, siue surbornatus  
ac personatus inuolas in aulam Electoris inclyti,  
asserens doctrinam e diametro pugnantem: cum  
Confessione Ecclesiarum orthodoxarum, quæ Celsi-  
tati ipsius commissa sunt. Hoc num gratum possit  
esse animo excelso Heröis eius, qui adhuc Christia-  
num Lutheranismum profitetur, tu ex tuo cerebro  
iudicare facile poteris. Suspectas reddis Ecclesias  
optimi Principis, turbas moues inter multos bonos,  
suspendis iudicia, dubias dubitationes accumulās,  
præstantissimum Principem suspicione oneras, non  
quidem necessaria, non tamen contemnenda, aulicos  
inquietas, VVitebergenses omnes (de quibusdam  
enim certis quod constat, sane constet) in pericu-  
lum adducis, non tam ad Misnenses adhuc recte sen-  
tientes, quàm apud exteros, fucosq; vel singularis,  
quæ iactatur, doctrine, vel blanditiarum hypocri-  
ticarum



35  
ticarum delinīs atq; corrumpis etiam eos, qui  
boni sunt, & qui nihil minus, quàm Sacramen-  
tariorum somnia, sibi placere certò sciunt.

Hec verò & alia, de quibus verba ut faciam,  
nunc opus non est, quam arridere possint Principi  
Electori constantissimo, etiamsi is, si fieri possit, à  
mille Bezis circumdetur, & ad consensionem insti-  
getur, facile colligi potest ex animo vniuscuiusq; cui  
veritas cordi & curæ est. Pius enim animus ex  
se iudicat alios, qui modo pietatis curâ mouentur.  
Consultum autem non tantum nostris esset Ecclesijs,  
sed etiam tuæ conscientiæ, si à turbatione Germaniæ  
abstineres, & tua ageres, iuxta præceptum Pauli  
damnantis & ἀπογοητοποιου.

**BEZA.** Ego interea velut ad  
Cels. tuæ tribunal vocatus compareo,  
Illustrissime Princeps, primum qui-  
dem aliquid de causæ ipsius summa,  
deinde vero pauca de me priuatim  
dicturus.

**SELNECCERVS:** Electorem Saxo-  
niæ Dominum meum Clementissimum, non tantum  
ferre possum, sed etiam exopto mihi dari iudicem,  
sicut antehac petij sepe numero, & adhuc peto sup-  
pliciter, quandoquidem Celsitas ipsius rectè à tene-  
ris educata & instituta est, & in tuam gratiam  
nihil



nihil mutatura facile, nisi Christus poenas, quas  
commeruimus, infligere nostrae velit Germania.  
Tu verò, mi homo, quod audacius & ἀδὰ τὸ πρῶτον  
πρὸς, vulpecula versutissima in morem, comparere  
te dicis, factis, ut soles, proposito & voluntate con-  
ciliandi tibi animos innocentissimos, & tuae sectae  
hactenus insensissimos. Crede & cede veritati,  
id est, verbis CHRISTI, ut postea audiemus,  
aut desiste à tuis machinationibus. Non enim  
inuenis Principem eum, qui in tui gratiam à verita-  
tate coelesti agnita, ad tua physica deliria deficiat.  
Ac etsi sint in ipsa aula, qui te aliter senti-  
re & loqui, praesertim in hac tua defensione, sibi  
& alijs persuadeant, quàm Zwinglius & Calui-  
nus locuti sunt antea, & negent te esse Sacramen-  
tarium, id est, negent te Zwinglij & Caluini sen-  
tentiam ἀδὲ τῶν δέπρων & alijs nonnullis pro-  
bare: tamen tumetipse non accipis, non probas,  
non admittis istam persuasionem inanem, menda-  
cem, & vanam, ut haec ipsa tua ostendit defen-  
sio. Sitq; iudicium penes te. Teipsum enim  
nostri optime.

**BEZA:** Perpetuum esse bellum  
Ecclesiae cum exteris domesticisque ho-  
stibus, tantisper dum ultimus ille dies  
appareat, quo Pater omnia Filio sub-  
ijciat, tum ex ipso Dei verbo, tum ex  
per



perpetua experientia satis liquet. Sed nos esse ex istorum hostium numero, id vero prius fuit probandum, quam excusati habeantur, qui nos tam diu, & ita impotenter persequuntur, ut ipsis etiam iuratis hostibus omis- sis, & neglectis ouium suarum pesti- lentissimis, & ob oculos obuersan- tibus morbis, in nos vnos feran- tur.

SELNECCER. Parce bonis, mi homo. Hostes agnoscimus eos, qui manifeste veritati coe- lestis doctrine in quocunq; fidei Christianae arti- culo se contumaciter & pertinaciter opponunt. Ad vos vero quod atinet, Sacramentarij, iam dudum nota est animorum nostrorum sententia, verbis D. PAULI EBERI expressa, quae recitare libet: Nullo modo aut ratione adduci me patiar, ut ceu nocentissimos hereticos dam- nem, & ex Ecclesiae societate prorsus eijcien- dos & anathematis turbine Papistarum mu- cronibus & flammis obtrudendos esse censeam eos, qui in alijs regnis & Ecclesijs reliquam Euangelij doctrinam iuxta Prophetarum & Apostolicorum scriptorum consensum nobiscum profitentes,



profitentes, in hoc articulo sic informati, & à suis  
Doctoribus persuasi sunt, vt cum impossibile & ab-  
surdū videatur corpus & sanguinem Domini nostri  
Iesu Christi, quod in cœlo est, & haud dubiè hu-  
mane naturæ essentialis proprietates etiamnum  
post glorificationem ineffabilem retinet, in Cœna,  
vbicunq; illa iuxta Christi institutionem celebratur,  
datis & sumptis visibilibus elementis, pane & vino,  
reuera præsens comedendum & bibendum, tradi &  
accipi tam à pijs, quàm à securis & hypocritis in  
Ecclesia: credant in cœna sumi ore tantum panem  
& vinum, symbola absentis corporis, quod tamen  
fide vnà cum suis beneficijs virtute & efficacia ac-  
cipi, atq; ita spiritualiter tantum manducari &  
hauriri debeat ac possit, eo sumptionis modo, de  
quo Christus Ioannis 6. loquitur. Hos inquam  
etiamsi iudico perperam sentire, & nos ab ipsis dis-  
sentire palàm profiteor, & summoperè atq; intimis  
cordis mei votis & gemitibus opto, ipsosq; oro &  
hortor, vt malint Christo communi liberatori no-  
stro, authori huius imperscrutabilis mysterij etiam  
in hoc articulo, sicut in alijs faciunt, laudem verita-  
tis & omnipotentiae tribuentes, nobiscum reueren-  
ter credere & obedire, sicut promittit, & præci-  
pit ipse tantus Doctor, & tam benignus ac potens  
Dominus: quàm vel suæ rationis ductum, vel illo-  
rum persuasiones sequi, qui verbis Christi eatenus  
autoritatem derogant, quatenus cum luce naturali  
non congruunt, quod male & cum periculo summo  
fit:



fit: Tamen nec volo, nec salua pietate possum esse  
 ὁμοῦ καὶ ἁστυπυλῶν & astipulator ijs, qui tanta vehemen-  
 tia hos aliter sentientes impugnant, vt seuisissima  
 etiam supplicia, quibus non ob hanc tantum de Coe-  
 na sententiam hi constantes martyres subijciuntur,  
 non admodum improbare videantur &c. Hactenus  
 D. Eberus. Hæc nostræ quoq; sententia mentis erit  
 perpetuò. Non hostes, sed fratres esse cupimus, illæsa  
 veritate. Vestros labores, & constantiam vestram præ-  
 dicamus, calamitatibus vestris meritò, & ex animo  
 afficimur, vestram salutem DEO assiduis precibus  
 commendamus, & non sine commiseratione vestram  
 pertinaciam deploramus, & vestrum in doctrina  
 de Cœna Dominica consensum cum his nostris Ec-  
 clesijs impetrari posse, sublati omnibus disidijs, st-  
 multatibus & contentionibus, ardentissime optamus,  
 & à Deo quotidianis precibus flagitamus, & nostris  
 scriptis & responsionibus querimus, & non sine  
 magnis causis aliquando fore speramus. Sed iam  
 quæstio est, cum vos insurgitis aduersum nos, Cre-  
 ophagias fingitis, Ministerium nostrum & cœtus  
 publicos vitatis, ceu Thyestas, Capernaïtas, Carni-  
 uoros, sanguinipotæ, lanios, & nescio quibus contu-  
 melijs, & nominibus calumniosissime nos defor-  
 mare conamini, vt tu Beza soles etiam in hac tua  
 defensione, peruersissime, mentionem faciens denuo,  
 (nam mos ille tuus fuit antea etiam, & adhuc est)  
 nescio cuius traiectionis in ventriculum, concoctio-  
 nis, & excretionis putidæ & nefandæ, cuius contu-  
 meliæ

G





melie etiam ipsum Satanam puduisse debebat, num  
tacendum nobis sit, qui verbis Christi insistimus, num  
vobis fenestræ & portæ aperiendæ sint vtrò ad  
comminiscendas istas blasphemias, num ferendum sit,  
à vobis seduci animos teneros, Ecclesiasq; rectè con-  
stitutæ turbari, & nostrum sacrosanctum ministeri-  
um contemni? Hic, qui pius & sanus est, dicit  
vnusquisq; homines inconstantissimos, & leuissimos  
perhiberi, si taceremus, nos posse meritò. At vos  
quum non adoramini, & omnia vestra reuerenter  
& subiectissimis animis probari, & magnifieri, ani-  
maduertitis, impatienti muliebriq; querimonia &  
lamentatione, pacem turbari, & Ecclesias offendi  
clamitatis. Nos certè in culpa non sumus, quò mi-  
nus pax fiat. Credite & cedite veritati, & fratres  
nostri eritis, & in æternum manebitis. Queren-  
tibus, vt Pilato, Quid sit veritas, respondemus:  
Verbum Christi immotum: Accipite, edite, Hoc est  
corpus meum, quod pro vobis traditum est, &c.  
Pereat mundus, ruat cœlum, ruat terra, modò  
maneat verbum Dei, & veritas Christi inuiolata.  
Vna enim vocula Filij Dei, pluris nobis esse de-  
bet, quàm totus mundus, quàm omnis physica aut  
philosophia, quàm omnium hominum gratia, fa-  
uor, indignatio, ira, potentia, quàm omne pericu-  
lum, aut vitæ discrimen, quàm omnis ratio & sa-  
pientia non humana tantum, sed etiam angelica.  
Cedant omnes, qui nobiscum idem fateri nolunt, qui-  
cunq; sane sint, sapientes, docti, potentes. Hic  
nullus



39

nullus respectus hominum esse debet, cum doctrina,  
fides, conscientia, & ratio reddenda Filio Dei, nec  
patiantur ludum, nec se impediri ferant.

**BEZA:** Et cur tandem obse-  
ro? num quod de vna Dei essentia,  
de tribus hypostasibus, de Christi per-  
sona vel officio, de Lege aut Euange-  
lio, de peccato, de gratia, de fide, de  
iustificatione, de bonis operibus, de  
resurrectione, de futuro iudicio, de  
vita aeterna, num denique quod de Sa-  
cramenti definitione, de Sacramen-  
torum vniuersalium & perpetuo-  
rum numero, de signis, de re si-  
gnificata, de fine & vsu Sacramen-  
torum dissideamus?

**SELNECCERVS:** Doctrina de idia-  
matum communicatione, ad personam Christi  
omnino pertinet. Nam etiamsi in ijs, quae licet sint  
vnius naturae propria, tribuuntur tamen personae in  
concreto, nobiscum consentitis: tamen de ijs, quomodo  
vtraque natura in Christo, agat cum communicatione  
alterius.



alterius: & quid humana natura in Christo, præter physica idiomata ex hypostatica cum diuinitate vnione acceperit, dissidia & excitas & auges, Beza. In Sacramenti quoq; definitione, præsertim in doctrina  $\alpha\theta\iota$   $\delta\epsilon\iota\pi\upsilon\varsigma$   $\kappa\upsilon\varsigma\iota\alpha\kappa\tilde{\varsigma}$ , num consensum ostendere possis, tu videris. Tu signa profers, nos cum signis rem ipsam præsentem habemus, quæ signatur.

**BEZA:** Minime, opinor, hoc dicet eorum quispiam, si eos excipias, a quibus plane dissentire nos (ipsis etiam V Vitebergensibus tuis diserte consentientibus) & corde & ore profiteamur: qui videlicet naturas ipsas cum Nestorio, & earum essentielles proprietates cum Eutychete confundunt. Etsi enim ex istis, quibus hoc vnum propositum videtur, vt litem ex lite serant (quasi scilicet veteres turbæ impediendo operi Domini non sufficiant) nonnulli quædam alia nobis exprobrare conantur, extant tamen communes nostræ confessiones, Heluetica dico & Gallica, illa quidem plenissime, ista vero compendiose capita nostræ, id est, Evangelicæ fidei



40

fidei complectens, quæ vel solæ nos  
satis superq; ab istiusmodi calumnijs  
vindican.

SELNECC: Velim te, mi homo, parcere  
Ecclesie & Academia ei, ex qua semper arietes  
Sacramentariae tuæ factionis prostrati fuerunt. Ne  
quæso Ecclesie & Academiae toti defectionis notam  
à veritate Lutherana, id est, verè Christiana, ad  
rationis vestrae strophas inurere coneris. Absit  
etiam illud ab Ecclesia VVitebergensi, vt quod cer-  
ti quidam audacter & impotenter factitant, ab Ec-  
clesia & Academia factum aut dictum censeatur.  
Ecclesiam enim & Academiam VVitebergensem, vt  
suprà diximus, non aliam intelligimus, non aliam ag-  
nosimus, non aliam nouimus, nisi quæ fuit tempo-  
re Lutheri, Philippi, & aliorum Præceptorum,  
ἡ ἑκείνη. Hic si facies doctrine est alia,  
VVitebergensem non agnoscimus. Et in hac cau-  
sa, quæ sit VVitebergensis Ecclesie & Academiae  
doctrina, fides & confessio, expositum habes cum  
in ipso Christi Testamento, tum (ne de Patrum  
orthodoxorum testimonijs iam dicam) in scriptis  
Lutheri editis contra Sacramentarios, item in Ca-  
techismo, articulis, quos Smalcaldicos vocant, in  
Doctrina Corpore conscripto à D. Philippo, & in  
D. Pauli Eberi assertione: quos libros si probas,  
& accipis, bene est, & omnis controuersia iam est



ad finem deducta: sin minus, ne quæso nostras Eccle-  
lesias, V Vitebergensem, Lipsensem, Dresdensem,  
Saxonicas, Misnicas, Thuringicas, & alias tam  
leues, & inconstantes esse censeas, vt à confes-  
sione veritatis agnitæ, & in illis libris comprehensæ,  
in tui vel aliorum gratiam ad Physticas vestras  
phantasias discessuræ sint. Quod si sunt alij,  
qui fortassis aliter iudicant, etiamsi in ipsa Schola  
VVitebergensi illos esse vel Theologos, vel Professo-  
res alios demonstrare possis, ratio tamen illorum  
nullo modo ab Ecclesijs habetur. Corpus enim  
Ecclesiæ non distrabimus, & priuatis fanaticorum  
& ambitiosorum hominum opinionibus locum per-  
mittimus nullum, multò minus Confessionis nor-  
mam, mutata & abnegata agnita veritate, ad ip-  
sorum ductum adaptamus. Vobiscum autem  
dissentire nos ab omnibus & singulis, qui naturas  
ipsas cum Nestorio, & earum essentielles proprie-  
tates cum Eutychete confundunt, corde & ore  
profitemur. De Confessionibus verò vestris  
aliàs.

**BEZA:** Quænam autem est  
igitur tanti & tam implacabilis odij  
causa? Quod, inquit ille, qui me  
nunc inuitum in hoc certamen pertra-  
his, Christo homini adinamus po-  
tentiam



72  
tentiam eam, quam sibi datam accepit in omnes creaturas, id est, potentiam diuinam. Deinde quod eisdem Christo adimamus veritatem promissionis & Testamenti, quasi suo corpore & sanguine in Cœna, ubicunq; rite peragitur, non sit præsens, neq; etiamsi velit, possit esse præsens: Neq; possit distribuere pane & vino benedictionis vescentibus reuera verum & essenziale corpus & sanguinem suum. Hæc ille.

SELNECCERVS: Quod te inuitum, Beza, à me nunc in certamen nouum pertrahi comminisceris, iniuriam tibi & mihi facis manifestam. Et vt te erudiri sinas, rogo. Commonefactiunculam de versione: Oportet Christum cœlo capi, id est, comprehendi & detineri, scripseram iussus & rogatus, & neminem perstrinxeram. Cum enim illa versio nostris Ecclesijs & scholis esset planè & meritò ignota, & ex tuo tantum exemplari desumpta, (quam ob rem Beza illam esse dixeram)



dixeram) cumq; non aliter vsurparetur, quam vt  
Christus suo corpore in certo cœli loco detineri &  
circumscribi, siue capi fingeretur, ex quo consequi  
facile animaduerti poterat, alibi præsertim in tera-  
ris, quoties & vbi Cœna administratur, eodem illo  
corpore suo Christum esse non posse, atq; ita & om-  
nipotentie & veritatis laudem versio ista Christo  
subdole adimeret, rectè scripsi, versionem istam sen-  
su istiusmodi acceptam, plane falsam & impiam  
esse. Hoc scilicet meum grande crimen est læsæ  
tuæ maiestatis. Hæc causa est, ob quam furiosis-  
simè insurrexeritis aduersum me, boni scilicet viri,  
labra tantummodo mouentem & mussitantem de pe-  
riculo nouæ, & Ecclesijs nostris inauditæ & pere-  
grinæ versionis. Hic primùm Disputatio Gram-  
matica, non ab Ecclesia & Academia VVitebera-  
gensi, vt tu effutis, Beza, sed ab homine priuato &  
philosopho, E S R O M O Rüdingero, hospite olim  
in mea domo, iam oblito consuetudinis nostræ, ho-  
stæq; facto absq; mea culpa, contra mentem & vo-  
luntatem Theologorum (vt ego quidem tanquam de  
viris honestis ratiocinor) qui tum temporis, cum illa  
interea contra omnem fidem & honestatem publi-  
cam & priuatam, ciuilem, & Ecclesiasticam, in pu-  
blicum, priuati hominis iussu, ederetur, tabellarium  
apud me haberent à se missum, meam vt voluntatem  
inquirerent, in me contumeliosissimè scripta & edita  
est, in qua periurij, apostasiæ, leuitatis, & hereti-  
cæ prauitatis ab homine isto, Deo & suæ ipsius con-  
scientiæ



42  
scientiæ bellum inferente, mendaciter & leuiter ac-  
cusor. Mox tuum scriptum aduersum me pro-  
diit calumnijs plenum, in quo idem, quod ille, facere  
ausus es. Ego verò quid? Taceam ne? an  
ἔτι καὶ ἰσθῆς & ignominiam probrosissimam coram  
DEO & Ecclesia vniuersa incurram? Absit.  
Sed quid fit? Respondi laceſſitus & prouocatus  
nominatim, & mendacijs & calumnijs impeti-  
tus tot & tantis, vt maiores, atrociores, & viru-  
lentiores illæ esse non possent. Respondi autem  
fortassis tuo iudicio apertius, quàm putaras.  
Nunc me in culpa esse exorti certaminis, & te à me  
inuitum per trahi perhibes, homo tui oblitus. Iu-  
dicent autem DEVS, Angeli, & homines, quid,  
quo animo, & quanta illud modestia fecerim sine  
cuiusquam nomine & læsione: qua de re fortassis  
aliàs aliquid dicendum erit.

**BEZA:** Quæ si vera sunt, vt  
dicuntur, sane non odio hominum  
duntaxat, sed etiam vltimo exitio nos  
dignos esse vltro profiteor: meq; adeo  
primum luendis tantorum criminum  
pœnis offero.

**SELNEC.** Non decet virum sapientem  
& bonum negare ea verbis, quæ animo non negat,  
multò minus palliare opiniones non ferendas. Vera  
sunt.



sunt hæc, mi homo, quæ à me dicuntur, & uti dicuntur. Commiseratione autem dignus es, Beza, quòd Petri exemplo deieras, & diris te deuotes in re, quæ omnibus manifesta est, & tuæ conscientie testimonio non potest negari, utinam etiam Petri exemplum amare flendo, & poenitentiam agendo imiteris. Hoc ut ob oculos ponam omnibus euidentissime, repete Accusationis, quam uocas, capita. Primum enim dicis falso te accusari, quòd Christo homini adimas potentiam diuinam. Hoc verum ne sit, quæso ipse perpendas, tuamq; conscientiam aliquo saltem modo consulas. An quæso, mi homo, non adimit is potentiam diuinam Christo homini, qui affirmare non erubescit, Christum suo corpore tam remotum & procul distitum esse à cœna, quàm est cœlum supremum à terra, & ita cœlo capi, contineri, comprehendere, ut etiamsi velit, dicat, & promittat, tamen non possit esse  $\sigma\omega\mu\alpha\ \alpha\lambda\iota\ \nu\acute{\iota}$   $\pi\acute{\rho}\sigma\omega\iota\alpha$  præsens in Cœna, ubicunq; hæc in terris rite peragitur? An hoc non sacrilegium extremum est, an non blasphemia & caput hæreticarum opinionum? Vide igitur, quàm uere te luendis poenis offeras. Deinde negas iureiurando, à te negari veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna, ueramq; distributionem & manducationem ueri & essentialis corporis & sanguinis Christi. Si hoc est ita, cur disputas, cur litem ex lite seris, cur rixaris? Deploro tuam uel inconstantiam, uel uersutiam. Paulo enim post, quod



quod vna manu dare visus es, altera totum illud de-  
 struis, rapis, euertis, inquiring: Reālis præsenti-  
 tia corporis Christi non est in Cœna Domini.  
 Item, præsentiā illa eo ipso loco, vbi Cœna celebra-  
 tur, & sumitur, commentum est analogiæ fidei ex  
 diametro repugnans. Item, Christus non potest  
 velle corpus suum multis in locis, vbi Cœna celebra-  
 tur, sistere. Item, carnem Christi sub, vel in, vel  
 cum pane in Cœna realiter præsentem esse, vanissi-  
 ma sunt hominum commenta. Quis iam tam cæ-  
 cus, tam demens, & stolidus esse potest, vt tibi in-  
 iuriam fieri perbibeat ab eo, qui affirmet, adimi-  
 diuinam potentiam Christo homini per tuas imagi-  
 nationes phisicas, & negari veram præsentiā, di-  
 stributionem & manducationem veri corporis &  
 sanguinis Christi? Tu igitur videris, quo corde,  
 quo ore, qua conscientia neges ea, quæ ipse affir-  
 mas. Ac si adhuc scintillula rationis humane, &  
 iudicij relicta est in terris, censores volo esse omnes  
 & singulos, quid de tua deuotione & imprecatione  
 statuendum sit. Scio quidem, quid respondeas, &  
 quomodo spiritualem præsentiā (quæ corporalis  
 est absentia) inculces. Sed omnia ista responsa  
 & argumenta tua per se concidunt & euanescent,  
 si CHRISTI verba audiantur & considerentur,  
 quæ, vt suprâ dixi, pluris sunt, quàm cœlum, terra,  
 natura, philosophia vniuersa &c.

BEZAR





**BEZA:** Itaque te vehementer precor, Illustrissime Princeps, ut me de istis capitibus non quidem plene disputantem, sed paucis tantum agentem placide & patienter audire sustineas. Num, igitur, quaeso, illi, Christum hominem omnipotentia Dei, quae quidem summa & una est, spoliarent, qui eundem esse verum, unicum, & aeternum aeterni Patris Filium profiterentur, & aduersus nostri temporis haereticos omnium constantissime (absit verbo inuidia) semper defenderunt?

**SELNECC:** Vis, Beza, ostendere, saluam & inuiolatam relinqui Christo homini omnipotentiam diuinam. Hoc vero facis admodum lubricè, inquiens: Qui dicit Christum esse verum, unicum & aeternum aeterni Patris Filium (addam plura, ut intelligaris, de quibus inter nos conuenire, minimè dubito.) *ὁμοούσιον, ὁμοῦσιον καὶ ὁμοτίμον* Patri & Spiritui sancto, is tribuit Christo potentiam diuinam. Nos, inquis, docemus, Christum esse aeternum aeterni Patris Filium, & aduersus Arrianos & Antitrinitarios constanter hanc doctrinam defendimus. Ergo nihil detrahimus omnipotentiae



44

nipotentiae Christi. Respondeo. Vera haec sunt omnia de Christo Dei Filio & Deo nostro, contra Arrianos, Mahometistas, & omnes omnium infectorum portas. Et nisi Filius Dei factus esset homo, & Verbum caro factum, non esset opus ulteriore quaestione. Deus enim Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus sunt vnus Deus in vna diuina essentia, potentia & gloria. Nunc vero, cum sciamus Filium Dei, etiam esse Filium Mariae, Deum, & hominem, θεάνθρωπον, Emanuelem, fratrem nostrum, carnem de carne nostra, & os ex ossibus nostris, ἀναμάγκτιστον, ἄμωμον, καὶ ἄσπιλον, & hanc naturam humanam, quae est assumpta in vnitatem personae, quae est Filius Dei, non esse vel extra personam Christi, vel extra Trinitatem diuinam, queritur, num dici debeat, Christum hominem esse omnipotentem: quae quaestio non hoc in se habet, quasi aliquid diuinitati accesserit, quae nec decrementum, nec incrementum accipit, aut quasi humana natura seorsim extra Christum consideretur, sed Christi personam duabus iam naturis constantem, Dei & hominis, retinet integram absq; omni & confusione & diuulsione. Nunc igitur primum de persona, deinde de duarum naturarum in vnam personam vnione, postea de proprietatibus vtriusq; naturae, & tandem de communicatione proprietatum queri solet: de quibus omnibus haec breuis, vera & plana sit responsio.

De persona igitur inter nos conuenit, Christum



Itum videlicet ab eterno in eternum unā cum Patre  
& Spiritu sancto esse eternum, verum & omnipo-  
tētem Deum, in una & eadem diuina essentia, distin-  
ctam personam à Patre & Spiritu sancto, Filium  
Dei, αἰδίου λόγου καὶ ἰκónα αἰδίου πατρὸς, καὶ  
ἀπαύγασμα siue Chasmal τῆς δόξης αὐτοῦ.  
Patri & Spiritui sancto σιωχίδιον, ὁμοῦσιον καὶ  
ὁμότιμον, creatorem & conseruatorem omnium.

De hypostatica aeternae diuinae naturae, quae  
est assumens, & humanae naturae, quae assumpta est,  
vnione, fatemur etiam vnanimi fide Christum Fili-  
um Dei, λόγον Patris, certo tempore ex Maria  
sempervirgine, Spiritus sancti operatione, virtute,  
& efficacia natum, assumpsisse naturam humanam  
integram, anima rationali, sensibus, & corpore  
constantem sine peccato, eamq; sibi vnuisse vnione  
hypostatica ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως,  
καὶ ἀχωρίσως, vt sit vnum ἕνυσάμενον ἢ δύοι  
φύσει, Deus & homo, vnus & idem Christus.

De proprietatibus quoq; vtriusq; naturae con-  
stat, vtranq; naturam in Christo, assumptam &  
assumptam, siue diuinam & humanam, habere &  
retinere suas essentialis proprietates, & non con-  
fundi neq; exaequari in illa arctissima & indissolu-  
bili copulatione proprietates illas, sed esse & mane-  
re duas naturas cum suis essentialibus idiomatis, etia-  
am si humana natura in Christo non tantum suis  
proprietatibus physicis sit limitanda, sed insuper in  
Christo



75

Christo habeat diuinas præ omnibus alijs creaturis  
prærogatiuas, quas scriptura illi tribuit, maiestatem,  
autoritatem, & potestatem diuinam, de qua ipse Fi-  
lius Dei & Mariæ loquitur: Data est mihi om-  
nis potestas in caelo & in terra. Manserunt quia-  
dem, manentq; in æternum proprietates humane  
in Christo nature etiam post glorificationem: sed  
hec omnia, id est, cum anima rationalis & corpus  
humanum, tum utriusq; idiomata essentialia, au-  
gmentum gloriæ, potentiæ, & dignitatis in Chri-  
sto acceperunt maius, quam sunt caelum & terra,  
& omnia in his comprehensa. Hæc verò acces-  
sio potentiæ omnis, & gloriæ atq; maiestatis, non  
est physica, aut naturalis, & nullis terminis co-  
gitationum angelicarum, nedum humanarum, &  
philosophicarum, nullisq; locorum spatijs capi, in-  
cludi, & definiri potest, sed est prorsus diuina,  
hyperphysica, cœlestis, & immensa. Atq; hinc  
quæ & qualis intelligatur idiomatum communica-  
tio hac in re, perspicui potest. Tria enim gene-  
ra communicationis idiomatum, ex hypostatica  
duarum naturarum vnione in persona Christi, piè,  
rectè, & infallibiliter deprehenduntur & consti-  
tuuntur, quorum primum est communicatio idio-  
matum, cuius vsitata definitio traditur, quod sit  
predicatio, in qua proprietas vni nature conueni-  
ens, tribuitur persone in concreto, & quæ predi-  
catio explicatur per particulas distinctiuas, vt alibi  
exponitur. Cyrillus ἰσῆγορίων vocat. Secundum  
genus

*Tria gen  
Idiomati  
concreti*

*1 genus*



2<sup>o</sup> genus

3<sup>o</sup> genus

genus est, quando utraq; natura agit cum communica-  
tione alterius, siue quando persona Christi in  
opere aliquo habet actiones in utraq; natura simul.  
Cyrillus κοινοποιῶν vocat, ad quam proprie offi-  
cia Christi referuntur, vt alibi ostenditur copiose.  
De his autem duobus communicationis idiomatum  
generibus quæstio iam non est. Nam de ijs omni-  
no statuo inter nos, & te, Beza, conuenire. Ter-  
tium igitur restat, quod te tuosq; turbat, imò por-  
tas inferorum offendit, & nunc vniuersum regnum  
Satanæ commouet. Illud verò est non aliud, nisi  
quod humane naturæ in Christo præter & ultra  
naturales siue phycas proprietates, plurima com-  
munem naturæ humane conditionem excedentia, &  
infinite modis superantia (id est, hyperphycica)  
sint donata, quæ illa non habet ex sese, aut seorsim,  
aut extra personam Christi, sed quæ ex hypostatica  
cum diuinitate vnione accepit. Humana enim na-  
tura in Christo (non extra Christum) exaltata est  
non tantum supra omnes consortes, homines & an-  
gelos quoq;, sed super omne nomen præsentis & fu-  
turi seculi, collocata ad dexteram Patris omnipoten-  
tis, domina omnium creaturarum, nulla re excepta,  
nisi solo Creatore, & habens (non ex se, non per se,  
non seorsim, non extra personam Christi, sed in  
Christo, atq; ideo in sese etiam, quia Christus Deus  
& homo est, Deus scilicet habens id, quod dare &  
communicare potest, & homo habens, quod accipit  
& possidet datum sibi ab assumente, dante, & com-  
munican-



96

municante Deo Christo ) habens inquam omnem potestatem, id est, diuinam plane & eternam ( sibi datam à Christo, & in Christo ) potentiam in caelo & in terra, super omnes creaturas, phisicas & geometricas phantasias, absq; omni exceptione, limitatione, & vera contradictione omnium creaturarum, diabolorum, & hominum, ita vt omnia possit, quæ vult, & omnia faciat, quæ dixit, non in abstracto, ( vt Scholastici loquuntur, siue per sese, aut ex sese, siue extra personam Christi ) sed in Christo, qui Deus & homo est, ita, vt quod Deus, idem & homo Christus, & quod homo, idem & Deus Christus possit, faciat, dicat, exequatur. Pertinent autem ad hanc rem eximiam, venerandam, & sacrosanctam, non porcis, non disputatoribus, securis, aulicis, & profanis obijciendam, sed in vero Dei timore & agnitione Filij Dei, Emanuelis nostri considerandam, hæ quinq; regulæ, quarum prima est:

1. Christus Filius Dei, æternus, verus & omnipotens Deus cum Deo Patre & Spiritu sancto, nihil accepit denuo aut secundo vel maiestatis, vel gloriæ, vel potentia, sed omnia, quæ ipse est, quæq; habet ab æterno in æternum, absq; mutatione, contractione, aut interruptione retinet, habet, possidet, vno eodemq; modo, sicut Pater, & sicut Spiritus sanctus, ita & ipse, semper  $\sigma\omega\alpha\iota\delta\iota\theta\varsigma$ ,  $\delta\mu\omicron\delta\sigma\iota\theta\varsigma$ ,  $\delta\mu\omicron\delta\psi\eta\iota\varsigma$   $\psi\grave{\iota}$   $\epsilon\mu\omicron\tau\iota\mu\theta$  Patri & Spiritui sancto

H



sancto, absq; vlllo discrimine, iuxta illud: Ego & Pater vnum sumus.

2. Quod autem descendit de caelis, & homo factus est, haec exinanitio non significat absentiam, defectum, diminutionem, aut sepositionem aliquam diuinæ in Christo gloriae & omnipotentiae, sed respicit cum ipsam ἐκκενώσασθαι, quod Verbum caro factum est, tum humilitatem eam, de qua rectè dicitur, quòd Verbo requiescente passus, crucifixus & mortuus sit Christus, id est, quòd vsurpatio diuinæ potentiae in humana natura Christi, & per hanc, tempore eo, quo opus redemptionis generis humani perficiendum erat, obedientiâ scilicet humilima, ad mortem vsq; crucis, non adeò conspicua fuerit, aut sese exeruerit, vt inde ratio hominum eternam & diuinam maiestatem colligere & statuere potuerit. Omnino igitur est dementatio quòrundam fingentium exinanitionem, quasi cohibitionem, aut sepositionem diuinæ gloriae & potentiae, aut maiestatis, atq; adeò quasi degradationem quandam realem, qua finita denuo reddita sit Filio Dei prior gloria & potestas. Christus enim ab eterno in aeternum est, & manet idem Deus, cum Patre & Spiritu sancto, absq; mutatione & diminutione. Exinanitio autem de statu humiliationis & obedientiae, in quo non semper vsurpata aut conspicua fuit diuina Christi maiestas, intelligenda est, vt alibi copiosius, cum opus est, ostenditur.

3. Omnis

Verbo  
requiescenti  
passus  
Christus



3. Omnia, quaecunq; Christus accepisse dicitur, scribitur, legitur, ea accepit non secundum suam eternam diuinamq; naturam (in qua antea ab eterno in aeternum omnia est, omnia habet, omnia possidet) sed secundum suam assumptam & humanam naturam. Huius regule probationes infallibiles sunt 1. Diuinae naturae immutabilitas. 2. Ipsius Christi & totius scripturae testimonia. 3. Orthodoxorum Patrum & totius Ecclesiae purioris consensus. 4. Vniuscuiusq;, qui pius est, fides & consolatio. 5. Diabolorum furor contra hanc veritatem, & viuam consolationem.

Nulli mutationi diuina natura subiacet, & nihil ei vel accedit vel decedit, sed est & manet immutabilis, vna & eadem ab eterno in aeternum, perfectissima & constantissima. Humana verò natura in Christo etsi habet & retinet essentiales suas proprietates, quibus filius hominis similis est fratribus per omnia, tamen praeterea ex vnione hypostatica cum diuinitate, accepit infinitas praerogatiuas supra omne nomen, quod nominatur nō tantum in hoc, verum etiam in futuro seculo, nec tantum dona creata aut physica accepit, sed tota plenitudo diuinitatis habitat in Christo corporaliter, vnde caro eius verè est viuifica. Dedit enim Filio vitam habere in seipso, & potestatem iudicandi, quia Filius hominis est, Ioh. 5. & sanguis eius emundat nos ab omnibus peccatis. Item: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Filio omnia dedit in manus, & omnia subiecit pedibus eius.

H 2

Ecclesiis

47  
Oia quae  
Christus  
accepit  
secundum  
suam  
humanam  
naturam  
et  
totius  
scripturae  
testimonia  
et  
Orthodoxorum  
Patrum  
et  
totius  
Ecclesiae  
purioris  
consensus  
et  
vniuscuiusque  
qui pius est  
fides  
et  
consolatio  
et  
Diabolorum  
furor  
contra  
hanc  
veritatem  
et  
viuam  
consolationem

Z





3 Ecclesie consensus ex his paucis testimonijs dilucidè apparet :

ATHANASIVS: Quando scriptura loquitur de glorificatione Christi, de carne loquitur, quæ perceptit gloriam.

LEO: Quicquid in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit, cui, quæ non habuit, conferuntur. Nam secundum potentiam verbi, indifferenter omnia, quæ habet Pater, etiam Filius habet.

ATHANAS: Excelsus non exaltatur, sed caro Excelsi exaltatur.

Athanas. Chrysost. Theodoretus, Oecumenius, & alij: Sede à dextris meis. Hoc dictum est ad humanam naturam, & humanitùs illa accipienda sunt de corpore Dominico.

CHRYSOSTOM: Cognoscamus, quæ natura sit, cui dixit: Sede à dextris meis, & esto meæ particeps sedis? illa nimirum, quæ audierat: Terra es, & in terram ibis.

THEODOR: Vt Deus innatum habet imperium, vt homo decreto accipit vniuersorum imperium.

CYRIL: Accepisse gloriam, potestatem, & regnum super omnia, referendum est ad conditiones humanitatis.

Idem: Diuina natura per se ipsam viuificat, ad cuius virtutem caro per coniunctionem conscendit. Quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec



nec lingua dicere possumus, sed silentio & firma fi-  
de id suscipimus. 90

AUGUSTINVS: Potestas Christo à  
Patre data est omnis carnis: secundum hominem.

HILARIVS: Quod ex tempore est, glo-  
riam eius, quæ sine tempore est, claritatis accepit.

AMBROSIVS: Magnificentiam, quam  
Filius Dei habuit æternaliter per naturam, acceptu-  
rus erat Filius virginis ex tempore per gratiam, &  
æternaliter habiturus.

Ex his scriptura, & totius orthodoxæ Eccle-  
siae testimonijs iam vera fides, consolatio & animo-  
sitas piorum omnium, originem trahit suam, certò  
statuentium, Christum non tantum in sua æterna &  
diuina natura vt Deum & Filium Dei esse Domi-  
num omnium creaturarum, coelestium, terrestrium  
& aliarum, sed etiam in sua humana natura vt  
Fratrem nostrum, & carnem de carne nostra sedere  
ad dexteram omnipotentis, & accepisse sibi datam  
omnem potestatem in cælo & in terra, atq; ita to-  
tum Christum, Deum & hominem esse omnia, inuo-  
cari à nobis, præsentem esse nobis, coli & adorari  
vnâ & eadem λατρεία cum sine separatione, tam  
sine confusione naturarum. 4

Huic doctrinae verissimæ, diaboli omnes, por-  
tæq; inferorum omnibus temporibus aduersari co-  
nantur. Curuari enim coram Christo omne ge-  
nu, etiam secundum humanitatem, cui inuidet isti 5

H 3 tantam



tantam maiestatem & gloriam, exaltationem, & potentiam, & impossibile, imò ignominiosum Deo id esse disputant, timorem, tremorem, tristitiam, anxietatem & furorem in hostibus excitat, qui nihil minus, quàm Christo gloriam suam reuerenter tribui, ferre possunt.

4. Qui soluit Christum, non est ex Deo. Hæc regula, quam Nestoriani, eadem habentes fundamenta, quibus hodie Sacramentarij nituntur, ex epistola Iohannis sustulerunt, Lydius lapis esse debet, & norma, iuxta quam meritò hæc tota controuersia componi posset, si hominum ingenia manifeste veritati non contradicerent. Agnoscimus, adoramus, & colimus totum Christum, Deum & hominem, non separatis naturis. Et etiamsi discrimen naturarum & proprietatum utraq; manu retinemus, & vnã eternam & increatam, infinitam, diuinam, & assumentem, alteram certo tempore incipientem, creatam, finitam, humanam, & assumptam agnoscimus, tamen, quod ad humanam in Christo naturam attinet, sic credimus, sic loquimur, sic docemus 1. quod scilicet illa sit assumpta à Filio Dei in vnitatem personæ, id est, quod ita sit assumpta, vt Deus & homo Christus, Filius Dei, & Filius Mariæ, sit vna persona, vnus Christus, vnus Dominus, vnus Deus, vnus homo, & filius hominis, & frater noster. 2. quòd etsi humana in Christo natura retineat suas proprietates & idiomata, finitatem, & circumscriptionem, & per omnia similis sit nobis,

De. d. p.  
n. d. s.  
emy



49  
nobis, tanq̄ fratribus suis, excepto peccato, tamen  
propter vnionem hypostaticam cum diuinitate, &  
propter exaltationem ad summam sublimitatem, vl-  
tra suas naturales, siue phisicas proprietates acce-  
perit, & habeat in sese ( non per sese, aut ex sese,  
non in abstracto seorsim, non extra Christum, sed  
in Christo ) prerogatiuas infinitas, potentiam infi-  
nitam, & diuinam, quia assumpta est in personæ  
omnipotentis & infinite vnitatem, & quia non  
est extra Trinitatem, sed in ipsa Trinitate, ad dex-  
teram Dei euecta, super omnes creaturas, & quia  
non extra Christum, sed in Christo est coniunctim,  
& hypostaticè, non separatim.

5. Si cognouimus secundum carnem Christum,  
sed nunc iam non nouimus. 2. Cor. 5. Hæc Pauli  
verba nos docent, vt omnia studia ad Deum refera-  
mus, & vt ne de ipso quidē Christo (vtar enim tuis,  
Beza, verbis) quamuis alioqui perfectissimo etiam in  
carne omnis præstantiæ exemplari, nunc cogitemus  
vt homine, qualis tunc erat, cum inter nos versare-  
tur, sed eum nunc vt penitus cœlestem & gloriosum  
consideremus. Cessante enim ( inquit Cassianus de  
hoc ipso loco Pauli contra Nestorianos ) infirmitate  
carnis, nihil in eo iam nouimus, nisi virtutem diuini-  
tatis : quia totum in eo virtus est maiestatis diuinæ:  
vbi esse desijt infirmitas imbecillitatis humane.

Hæc aliquo modo copiosius recitavi, vt manifestum  
fieret, & quæ esset nostra fides, & quanto inter-

H 4

uallo



uallo tu abesses à veritatis confessione integra, qui  
putas sufficere, quum Christum esse æternum Deum  
affirmas, etiamsi eidem, vt Fratri nostro, gloriam,  
potentiam, & maiestatem diuinam, quam sibi ho-  
mini diuinitus datam accepit, possidet & habet vt  
homo in æternum, adimere coneris. Sed perga-  
mus ad reliqua tua cognoscenda.

**BEZA:** Quod si nostri accu-  
satores per diuinam Christi hominis  
potentiam intelligunt habituaalem, vt  
non incommode Scholastici loquun-  
tur, siue, vt scribunt Brentiani, effu-  
sam, & in ipsa carne tanquam subie-  
cto hærentem gratiam, obsecro vtri  
pleniorẽ & abundantiorẽ Christi  
carni potentiam tribuunt: istine qui  
quum illam spatio veritati corporis  
humani conueniente definiri non infi-  
cienrur, ipsius carnis imperium &  
substantiæ ipsius præsentiam paribus  
spatijs terminant: an vero nos qui  
sic hominem illum, quatenus homo  
est, residere in coelis, ibiq; sese, nec  
vsquam alibi, liberrima voluntate,  
continere docemus ex scriptura, &  
ihs, quæ veritatem naturalis quantum  
uis



50

uis glorificati corporis, necessario con-  
sequuntur, vt nihilominus idem ho-  
mo, quatenus vnus & idem est etiam  
Deus ( id est,  $\kappa\alpha\iota\ \acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron$ , non  $\kappa\alpha\delta\ \acute{\epsilon}\alpha\upsilon\tau\omicron\mu$ ,  
nec  $\kappa\alpha\iota\ \acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\mu$  ) sic vbicq; , nedum in  
Coena & Ecclesia sua: &  $\kappa\alpha\delta\ \acute{\epsilon}\alpha\upsilon\tau\omicron\mu$   
quoq; , id est, in semetipso considera-  
tus, omnia & singula coelestia, terrestria  
infera, accepta plenissima potestate  
administret &

SELNECC: Insidiosè vrges, Beza, que  
rens, an  $\omega\omicron\lambda\upsilon\tau\omicron\pi\iota\alpha$  sit gratia habitualis inherens  
in carne Christi tanquàm in subiecto. Inde enim  
mox conficeres, corpus Christi proprietate natura  
iam esse infinitum  $\epsilon\ \acute{\alpha}\pi\eta\gamma\gamma\omicron\sigma\alpha\pi\tau\omicron\mu$ . Nos verò  
insidijs tuis contemptis dicimus, vt supra satis osten-  
sum est, Christum secundum naturales siue essenti-  
tiales corporis humani proprietates esse circum-  
scriptum,  $\epsilon$  in vno loco, secundum veritatem cor-  
poris, sicut ita rediturus est è coelis. Addimus  
autem, cum vnio hypostatica duarum naturarum,  
 $\epsilon$  sessio Christi ad dexteram maiestatis Dei sint  
fidei nostræ fundamenta immota, posse Christum  
etiam alio hyperphysico, diuino,  $\epsilon$  coelesti,  $\epsilon$  ra-  
tioni humanæ incognito modo adesse præsentem,  
vbicunq; vult esse. Et quod velit, habemus certum  
verbum: Accipite, edite, Hoc est corpus meum,  
H 5 Bibite,



Bibite, hic est sanguis meus. Item, ero vobiscū vsq; ad  
consummationem seculi. Et: Vbi duo aut tres &c.  
Deinde insidiosissime formas statum hoc modo, quasi  
questio sit de eo, quòd Christus potentiam carnis suæ  
nō possit alibi exercere, & plenissima potestate omnia  
administrare, nisi vbi substantia carnis ipsius præ-  
sens sit. Mox quæris, vtri plus tribuant Christo, &c.  
Respondimus autem ad tuas has insidias supra, &  
ostendimus, disputationem non esse de absoluta po-  
tentia Dei, sed de verbo, in quo voluntatem suam  
nobis Christus patefecit, promittens, se non tantum  
potentia efficaci, & virtute diuinæ naturæ propria,  
sed etiam substantia sua affuturum Ecclesie suæ, non  
tantum secundum diuinitatem, sed præsentia corpo-  
rali, quam certo sigillo & testimonio obsignauit in  
Cœna sua. Cumq; de voluntate habeamus expre-  
ssum verbum & promissionem infallibilem, ac con-  
solationem firmissimam, opponimus physicis regulis  
eandem promissionem confirmatam articulis de vni-  
one hypostatica, & sessione ad dexteram Dei. Non  
etiam litem serimus de absoluta potentia Dei, &  
quid nobis videatur Christo magis esse gloriosum,  
sed à verbo ordimur, in quo Christus suam illam  
corporalem præsentiam patefecit nobis & promisit.

Quòd præterea addis, Beza, Omnia & sin-  
gula, coelestia, terrestria, & infera, administrari  
accepta plenissima potestate à Christo homine καὶ  
ἐαυτῷ id est, in semetipso considerato, gratiam  
sibi habeo pro confessione ingenua, & tandem homine  
Christiano



51  
Christiano digna. Quod si administrationem &  
gubernationem illam rerum omnium intelligis de  
diuina potestate, de qua Christus ipse loquitur: Data  
est mihi omnis potestas in caelo & in terra: & fatēris  
sub Christo omnes esse creaturas, ob oculos ipsi po-  
sitas, quarum inspector & gubernator ipse est non  
absens, aut remotus ab illis, sed in suo conspectu &  
promptu habens omnia, ita, vt sicut Deum, ita etiam  
hominem illum eundem nihil effugere aut latere pos-  
sit, vt testatur 8. Psal. Omnia subiecisti sub pedibus  
filij hominis: magnus accessus à te factus est ad spem  
concordiae, & fidei vnanimitis. Si verò administratio-  
nē illam accipis tuo more, id est, de titulo aut iure im-  
perij, quale habet Imperator absens in regiones cer-  
tas longissimè distitas, quas suis oculis, cum sit absens,  
contemplari ipse non potest, nihil spei est reliquū de  
ineundo consensu Ecclesiarum nostrarum cum tuo  
grege. Repetam autem planius sententiam veram.  
Christus homo καὶ ἑαυτὸν, id est, in semetipso cō-  
sideratus, omnia & singula administrat, accepta ple-  
nissima potestate. Ergo omnia & singula, caelestia,  
terrestria, & infera, habet sub se, ante suos oculos,  
sibi praesentia, vt nihil eum latere possit. Atq; hoc  
de Christo homine verissimum est. De alio homine  
verum esse non potest. Sic enim ascendit Christus ho-  
mo in caelos, sedens ad dexteram Patris omnipoten-  
tis, vt omnia & singula (solo Deo excepto, ad cuius  
dexteram aequali potentia sedet) sub se habeat, &  
omnium & singulorum sit contemplator, inspec-  
tor, rector, seruator, καὶ ἑαυτὸν quoq;  
id.



id est, non tantum  $\nu\tau\lambda$   $\alpha\delta\delta\omicron$ , quatenus Deus est, sed in sua humana natura consideratus, ut Frater noster, cui data est plenissima potestas in omnes creaturas, quas sub se, sibiq; presentes, & in oculis suis habet.

**BEZA:** Illud dogma vere Eutychianum in reali idiomatis diuini effusione, Brentiani renouarunt: istud vero nos tuemur.

SELNECCERVS. Reale, quomodo & quatenus vsurpetur, supra dictum est. Et ipsi quoq; quos allegas Beza, VVitebergenses sic scribunt: Etsi naturis ipsis non tribuuntur secundum sese proprietates, quæ alterutri nature tantum conueniunt, tamen non propterea inanis aut imaginaria, aut ficta est hæc forma loquendi, quæ  $\text{ἰδιωματικῶς}$  communicatio dicitur. Sed vsitatum dictum, quod in scholis celebre est, hic etiam locum habet: Qualis res est, talis tribuitur ei veritas. Cum igitur Christus reuera sit Deus & homo, &  $\text{λόγος}$  & natura assumpta reipsa sint vnum  $\text{ἕπιστάμωρον}$ , & hæc due nature sint inseparabiliter vnite: verè etiam & realiter prædicantur de Christo vtriusq; nature propria, diuina & humana. Atq; hoc modo si quis reale opponat, siue fictitio & vano, siue illi quod reipsa non est, & Christum quatenus est



52  
est unum ὑψίστου θεωρητῶν consideret, cum nemine certare, aut disceptare velimus de appellatione realis communicationis &c.

Vt autem constet nobis, quid Reale in hac nostra controuersia nominemus, consideratis tribus generibus communicationis idiomatum, de quibus supra diximus, affirmamus nos principaliter in hac disputatione, non de primo genere communicationis loqui, vt cum dicimus, Deum esse natum, passum, crucifixum, & mortuum. Hic enim proprietates naturarum simpliciter retinentur, & tamen natura diuina non est ociosa, sed ita suo modo affecta, vt omnia, quae suae assumptae carni accidunt, sibi accidere statuat: qua de re perfecte in vita aeterna nobis loquendum erit. De secundo autem communicationis genere, quod officia comprehendit, vocabulum Reale, usurpari rectissime, nemo piorum est, qui negare possit, ita tamen, ne fiat naturarum confusio, & ne etiam naturae in executione officiorum distraherentur, sed vt unum sit officium, & concordans, & efficax actio vtriusque naturae in vna persona, quae est Christus Filius Dei & Mariae, Deus & homo. Christus enim Saluator, Redemptor, Iustificator, Mediator, Rex & Sacerdos noster est, in vtraque sua natura, Emanuel, Deus & homo. De tertio nunc communicationis genere, quod Beza cum tuis plane vis exterminatum, quaestio est hodie necessaria, & ea quidem, quae instar lapidis angularis



laris se habet inter nos & te. Non enim hic  
queritur de communicatione illa, qua dicitur:  
DEVS est passus, Verbum caro factum est, Filius  
Dei est mortuus &c. Non etiam queritur de  
communicatione ea, qua dicimus, Christum esse no-  
strum Regem, & Sacerdotem, Redemptorem, Me-  
diatorem, Iustificatorem, Saluatorem. Sed queritur  
de hac communicatione, qua dicimus: Christus Filius  
Mariæ, caro de carne nostra, os ex ossibus nostris,  
sanguis e sanguine nostro, Frater noster, sedet ad  
dexteram Patris Dei omnipotentis, in throno ma-  
iestatis diuinæ, siue supra omnes coelos, in coelis coe-  
lorum, & habet omnem potestatem in coelis & in  
terris, & omnia pedibus suis subiecta, Dominus, Re-  
ctor, inspector, & gubernator omnium rerum, ado-  
randus ab angelis & hominibus omnibus & singu-  
lis, ideoq; καὶ ὁμοῦς καὶ ὁμοῦς & omnipotens frater no-  
ster, qui omnia potest, & in omnia habet imperi-  
um. Hic responde, Beza, aut veritati immote  
acquiesce. Habet enim hæc omnia Christus ho-  
mo καὶ ἐξ ἑαυτοῦ, id est, in semetipso consideratus fra-  
ter noster. Sed habet ne per se ex natura huma-  
na? Non. Vnde igitur? Certè ex assumente  
& euehente illam humanam naturam, ὁ ὁ λόγος.  
Filius enim Dei, siue ὁ λόγος, qui assumpsit  
humanam naturam, vnione hypostatica sibi ean-  
dem copulans, idem in se ipso eandem euexit secum  
ad summam sublimitatem in thronum, qui est non  
tantum creaturarum, angelorum, aut beatorum ho-  
minum



23  
minum, sed immediatè ipsius creatoris, Patris, Filij  
& Spiritus Sancti. Hæc gloria, humanæ in Christo  
naturæ certè communicata & donata est. A quo autè  
ab ipso λόγος Filio Dei. Titulo tenus ne, ac verbaliter?  
Nequaquam, sed verè, sed realiter, imò realissime,  
ut ita loquar.

Scio, quid vesanæ & philosophicæ mentes hîc  
obganniant. Eia, inquiunt, gloria illa, omnium po-  
testas, adoratio & similia, sunt idioma diuinum.  
Idioma autem est idem cum ipsa essentia diuina, quæ  
est communis tribus personis diuinitatis. Quare si  
carni assumptæ sit gloria illa donata, etiam Patris  
& Spiritus sancti essentia ei donata est, & uniti  
sunt non minus Pater & Spiritus sanctus cum mas-  
sa assumpta ex Maria virgine, quam Filius ipse.

Hæc hominum securorum & philosophico-  
rum imaginatio & phantasia est verè vana, stulta,  
& blasphema, carens omni timore & inuocatione  
Dei. Verissima enim hæc sunt, quod Christus Fi-  
lius Dei δ λόγος assumpsit humanam naturam  
siue hominem in vnâ personam, quæ iam Deus &  
homo est, & eandem naturam in seipso glorificaue-  
rit & euexerit supra omnes cælos, in cælos cæ-  
lorum, ad dexteram Patris Dei Omnipotentis, &  
dederit, siue communicauerit, siue donauerit ei  
omnem potestatem in cælo & in terra. Atq;  
hæc omnia de Christi persona intelligimus, & siue



ab ipso Patre, siue à λόγῳ, siue Spiritu sancto,  
datam esse Christo homini omnem in omnes creatu-  
ras potestatem quis dicat, rectè eum sentire, scri-  
ptura tota testatur. Quomodo autem id fiat, nec  
mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed  
silentio & firma fide (ut Cyrilli verbis utamur)  
suscipimus, & unionem hypostaticam, & sessionem  
ad dexteram maiestatis & virtutis Dei, præferimus  
omnibus humanis argumentationibus, & stultis spe-  
culationibus, & quæ discenda restant, quæue asse-  
qui & conciliare in hac triuiali & abecedaria scho-  
la non possumus, ad cœlestem & æternam Acade-  
miam, in qua Præceptor & Doctor erit Filius Dei  
ὁ λόγος, ἐρμηνεύς καὶ προκαταπέμπτης με-  
γάλων μυστηρίων καὶ βελημάτων τοῦ Θεοῦ,  
differimus meritò. Interea verò scimus Chri-  
stum Fratrem nostrum, etiam quatenus est homo,  
habere diuinam potestatem, gloriam & maiestatem,  
sine confusione naturarum, & sine essentia diuinæ  
lesione. Hoc verò quomodo fiat, nouit is, qui  
facere & conciliare potest omnia. Modum enim  
in hac vita discere nolumus, nec etiam possumus, nec  
quoq; cognitione illa in tanta ingenij infirmitate &  
immundicie digni sumus. At sufficiant hæc de  
vocabulo, Reale.

Quod ad dictionem Effusionis attinet, mihi non  
ignota sunt certamina ante annos 12. de eâ mota.  
Verum autem est, & inter nos omni dissensione ca-  
ret,



54

ret, effusionem, si de confusione naturarum accipias,  
esse Eutychianum delirium. Sed quaeso, quis ortho-  
doxorum in nostris Ecclesijs ita usurpavit vocabulū  
Effusionis? Nemo profectō. Dicimus certē, De-  
um in genus humanum transfudisse radios suae men-  
tis, sapientiae, libertatis, iustitiae & sanctitatis.  
Quod si de donis creatis ita nobis loqui licet, multo  
minus errabimus, si de Christo homine ita loqua-  
mur, quod scilicet in eum effuderit Deus suam sa-  
pientiam, & communicauerit ei suam gloriam, ma-  
iestatem, dignitatem, non tantum ut creata dona, sed  
diuinam planē, & suam ipsius, aeternamq; maiesta-  
tem & gloriam, ita tamen, ut licet gloria illa sit  
proprietas diuinae naturae, eademq; ipsi essentiae, ta-  
men Christus homo illam sibi datam acceperit &  
habeat absq; naturarum confusione, exaequatione,  
aut essentiae communicatione & permixtione, quod  
quomodo fieri possit, nostrum non est perscrutari  
velle in hac vita, sed discemus in aeterna vita, cum  
videbimus ipsum de facie ad faciem, qualis est. Intea  
rea credimus manifestis scripturae testimonijs, totam  
plenitudinem diuinitatis in Christo homine  $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\acute{o}\varsigma$   
 $\tau\iota\kappa\acute{o}\varsigma$  habitare, & Christum hominem  $\kappa\alpha\theta\grave{\alpha}$   $\epsilon\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon$   
 $\tau\omicron\upsilon$ , siue in semetipso consideratum, sedere ad  
dexteram omnipotentiae & maiestatis Dei, affir-  
mantibus, & hunc honorem summum & diuinum,  
quem Deus ipsi dedit, Fratri nostro omnipotenti  
eripi nequaquam ferimus. Modum autem volentibus  
inquirere disputando & ratiocinando, rectē  
respondemus



respondemus: Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Et illud quoq;: O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei. Quis consiliarius eius fuit? &c. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, inquit DEVS. Hoc cum non tantum de donis, sed etiam de ipso Spiritu sit intelligendum, & tamen ratione nostra intelligi non possit, acquiescimus veritati verbi diuini. Idem ergo hic quoq; faciamus. Hæc recito copiosius, non quod vsquam vsurpârim aut vsurpem ipse vocabulum Effusionis in hac doctrina, sed vt tester dolere me, cum Viris optimè de Christi Ecclesia meritis manifesta fit iniuria. Addendum tamen etiam hoc est, vetustatem aliquoties vsam fuisse vocabulo Effusionis in hac eadem doctrina. Sic enim Cassianus contra Nestorium loquitur: Nouit Deus se ipsum totum ita infundere, vt nihil accidat detrimenti. Et absit ita credere, vt confusione carnis & verbi, ceu conflati quodam genere duas naturas in vnâ redactam arbitremur esse substantiam: Huiusmodi enim corruptio, partis vtriusq; corruptio est. DEVS enim, qui capabilis, non capax est, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, qui vbiq; simul totus est, & vbiq; diffusus est, per infusionem potentiae suae misericorditer naturae est mixtus humanae. Et in Ecclesijs nostris vsitata & vera phrasis est, Christum Filium DEI humanam naturam suam, suae gloriae immense & maiestatis diuinae splendore perfudisse:



55  
fudisse: qua phrasi vsus etiam est D. D. Eberus in  
sua Confessione.

Quod ad D. Brentium, beatæ memoriae, at-  
tinet, quem vt heresiarcham Beza traducis tuo mo-  
re, scimus Virum illum plus laborasse, sudasse, &  
effecisse, & suis monumentis Ecclesiæ Christi ad  
omnem posteritatem profuisse, quàm hodie vel tu,  
(cùm destruas, & non ædifices) vel omnes isti The-  
ologi faciunt, quotcunq; sunt, in vnâ massam confla-  
ti, à quibus reprehenditur. Et vera me dicere,  
nouit purior Ecclesiæ Christi, & testantur omnes,  
qui non sunt supra modum superbi & arrogantes.  
Et iudicabit de his pia, si qua futura est, posteritas.  
Sed hæc de his.

**BEZA: Ab vtra parte stet veritas,  
vel ipsi VVitebergenses tui dñjudicēt.**

SELNEC: Allegas, Beza, eos, quos hoc  
modo Inclytus Elector Saxonie non agnoscet VVi-  
tebergenses, multò minus alij. Dogma Eutychianum  
refutârunt VVitebergenses semper, doctrinæ voce  
& scriptis Lutheri repurgatæ custodes. Hos si  
allegas, bene est. Si verò intelligis alios, singulares  
& priuatos homines, tuæ sectæ, vt tu gloriari vi-  
deris, addictos, scias illos Electori manifestè non pla-  
cere, multòq; minus iudices à te nominari posse. Vvi-  
tebergensem verò Ecclesiam & Academiam scimus  
iudicare



iudicare debere de hac controuersia vniuersa non aliter, quàm illa iam dudum dijudicata & explanata est scriptis Lutheri ardentissimis, & sanctis, quibus non sunt digni alij, qui vel unguem latum ab illis sentiendo & disputando, alioquin homines securi & rixosi, superbi & arrogantes, recedunt. Atq; hæc in honorem Inclyti Electoris Saxonie, & in laudem Ecclesie & Academie VVitebergensis profero, & me non falli, certò mihi persuadeo, quidquid sane alij impedire conentur.

**BEZA:** Hic vero insurgunt illi, quibus nunc respondeo, & illam quidem *παναχριστιαν*, vt prorsus impiam & hæreticam merito abominantur, interim vero Christi carnem diuina potentia spoliari a nobis declamitant, nisi eam, quamuis in cœlis sua quantitate definitam, tamen sese præsentem re ipsa vbicunq; vult, ac præsertim in Cœna Domini nobis sistere fateamur, vtpote quæ ad dexteram Patris sedeat, id est, omnem potestatem in cœlo, & in terra acceperit.

**SELNECCERVS.** *Suprà ostendi causam, quare Vbiquitatis disputationem reseruemus ad vltimum iudicium, ne videlicet à potentia absolu*

63



56

ea ad ipsum esse, videamur argumentari. Non  
autem propterea negamus, multò minus, ut impiam  
& hereticam sine discrimine abominamur, quam  
vocas  $\kappa\omicron\upsilon\lambda\alpha\chi\omicron\sigma\iota\omicron\upsilon$ . Potest enim Christus homo  
esse ubiq; quia non ex parte  $\tau\omicron\upsilon\varsigma$  λόγῳ unitus est,  
sed ubi λόγῳ, ibi Christus homo est. Et exal-  
tatio Christi hominis est supra omne nomen imper-  
scrutabilis & ineffabilis, sicut videbimus in nouissi-  
mo iudicio, & in vita eterna. Sed in hac vita lo-  
quimur de voluntate Dei iuxta patefactionem in  
verbo Dei expressam, & coniungimus voluntatem  
cum potentia, & reliqua reijcimus ad aeternam  
Scholam.

**BEZA:** Nos omissa paulisper  
quæstione de sacra Cœna Domini, sic  
respondemus. Si præsentia ista æstis  
manda est ex vnione hypostatica,  
(sicuti sane est) siue (ut loquuntur  
Scholastici) ex gratia vnionis, fals-  
sum esse commentum de reali ipsius  
carnis pluribus simul locis præsentia,  
quoniam per hypostaticam vnionem  
homo iste non est aliter pluribus si-  
mul locis, quam sicut Deus est. Hic  
autem homo est Deus, non transfor-  
matione sui aliqua, neq; in sese, sed  
vnione,



vnione, &  $\kappa\tau\iota$   $\alpha\lambda\lambda\omicron$ . cui vnitus est.  
 Loquar planius. Homo ille non alia  
 ratione, per gratiam vnionis, est plu-  
 ribus simul locis, quam ratione Deus  
 est. At non est Deus in sese ( quod  
 perpetuo D. Selneccerus perperam  
 confundit cum Per sese, & Seorsim )  
 sed quatenus cum ea natura, quæ vni-  
 ca nullo loco definitur, est vnitus, non  
 confusus, nec permixtus. Ergo etia  
 am non est simul pluribus locis in se  
 metipso, sed in altera natura conside-  
 ratus.

SELNECCERVS : Demonstratio  
 tua, Beza,  $\alpha\pi\omicron\delta\epsilon\kappa\tau\iota\kappa\eta$ ,  $\gamma\gamma\alpha\mu\mu\iota\kappa\eta$  & Geome-  
 trica, tuo iudicio, fortassis esse potest, sed  $\omega\iota\delta\epsilon\alpha$ -  
 $\kappa\tau\iota\kappa\eta$ ,  $\gamma\gamma\alpha\epsilon\iota\kappa\eta$  & Theologica nequaquam est.  
 Nos enim non ratiocinationibus philosophicis, sed  
 verbo Dei nitimur, & id, quod negas, homini  
 scilicet Christo à te adimi potentiam eam, quam  
 sibi datam accepit in omnes creaturas, id est, po-  
 tentiam diuinam, rursus tibi imputamus, teq;  
 reum esse istius blasphemie, coram Deo & homini-  
 bus pronuntiamus. Fatemur quidem Christum  
 hominem carere omnipotentia diuina, si extra  $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon$   
 (quod est impossibile) considerari possit. Sed  $\tau\omicron\upsilon\delta$   
 $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon$



57  
λόγῳ ille homo vnitus, & ad dexteram Dei omnia  
potentis euectus, consideratur duplici certè modo,  
videlicet ἡ ἄλλο, & ἐπ' ἐαυτῷ. Κατ' ἄλλο enim  
est æternus, Creator, & habet omnia idiomata di-  
uinae naturæ, quemadmodum totum illud primum  
communicationis idiomatum genus ostendit, in qua  
etiam Christus Deus dicitur esse passus, crucifixus,  
mortuus, ἡ ἄλλο, retentis vtriusq; naturæ pro-  
prietatibus suo modo, quem in vita æterna perspici-  
emus. Ἐπ' ἐαυτῷ verò Christus Deus, & Christus  
homo, idem & vnus Christus, Deus & homo, in  
vtraq; natura consideratus, est Mediator, Redem-  
ptor, Iustificator, Saluator, Rex, & Sacerdos  
summus: id quod secundum genus communicationis  
ostendit. Atq; hoc eodem modo Christus homo (sicut  
ad tertium genus sit progrediendum, de quo supra  
dictum est) non tantum ea ratione, qua DEVS  
est ἡ ἄλλο, vt supra diximus, (quamuis ex sese,  
per sese, aut seorsim nihil habeat istorum, cum  
omnia sibi data acceperit) verum etiam ἐπ' ἐαυτῷ,  
id est in semetipso consideratus, sedet super omnes  
coelos, euectus in coelos cœlorum, ad dexteram ma-  
iestatis & virtutis DEI omnipotentis, in eodem  
throno, in quo sedet DEVS Pater, DEVS Filius  
ὁ λόγος Emanuel, & DEVS Spiritus sanctus, &  
habet idem homo Christus in semetipso considera-  
tus, omnem potestatem in cœlo & in terra, omniaq;  
videt, examinat, audit, gubernat & administrat, &  
omnia sibi habet presentia & subiecta, adorandus



ab omnibus angelis & hominibus, & potest esse prae-  
sens, ubicunq; vult esse, non tantum ( vt loquar pla-  
nissime ) quatenus Deus est, sed etiam in seipso,  
quatenus homo est. Et ratio est non tantum unio-  
nis gratia, verum etiam sessio ad omnipotentis Dei  
dexteram, & voluntas expresso verbo patefacta.

Vanissima igitur consequentia est: Homo  
Christus ea, qua ratione Deus est, etiam pluribus  
simul locis est. In sese autem Deus non est. Ergo  
in sese non est pluribus simul locis.

Certe Christus sedet ad dexteram Dei Pa-  
tris omnipotentis, non tantum ea ratione, qua De-  
us est, sed etiam qua homo est, *non tamen addo quidem,*  
*si, unde sit illa sessio, quæris, & tamen etiam,*  
*si acceptam dignitatem, quam homo ille in sese ha-*  
*bet, consideres.*

Habet omnem potestatem in caelo & in ter-  
ra, non tantum vt æternus Deus, sed etiam vt homo.

Adoratur ab omnibus angelis & hominibus  
non solum vt Deus, sed etiam vt homo.

Gubernat & administrat omnia, rerumq;  
omnium inspector, & iudex est, non tantum vt De-  
us, sed etiam vt homo Frater noster.

Adest præsens suæ Ecclesiæ, & in Cœna suo  
corpore & sanguine, non tantum ea ratione, qua  
Deus est, sed etiam qua homo, non ex sese, aut per  
sese, sed *non tamen addo quidem,* & tamen etiam *non tamen*  
*etiam* consideratus, non per sese, aut seorsim extra  
personam Christi, sed in Christo, atq; in semetipso.

Iudicabit



58

Iudicabit omnes homines, viuos & mortuos, qui coram ipso consistent omnes & singuli, plures, quàm hic orbis terrarum, imò tota mundi machina capere potest, eumq; videbunt & audient omnes & singuli, non tantum vt Deum, sed vt hominem ea forma apparentem, qua in caelos ascendit.

Hac omnia constant manifestis & irrefragabilibus testimonijs diuinis, non desumptis ex phisicis aut ethicis speculationibus, sed ex ore veritatis aeternae, quae est ipse Filius Dei. Vanitates igitur tuas, vnà cum iniqua, & per sese concidente mei accusatione, qui non distinguam phrases, In sese, Per sese, & Seorsim, tibi remitto Beza, non ignorans, si particulas, Per sese, Ex sese, & Seorsim consideres, abstractum denotari, & cum omnia illa dona excellentia, & diuina humanae naturae in Christo sint communicata,  $\delta \nu \alpha \alpha \delta \delta \delta$ , locum habere, quando quidem ex sese homo Christus illa non habet, si verò iam communicata illa omnia examines,  $\delta \epsilon \rho \epsilon \alpha \nu \tau \phi$  abs te negari nec posse nec debere, non quod ex se illa habeat Christus homo, cum habeat  $\nu \alpha \alpha \delta \delta \delta$ , sed quod reuera iam habeat  $\epsilon \nu \epsilon \alpha \nu \tau \phi$ , quia data sibi illa accepit, & in aeternum obtinet in se ipso, non ex se, non per se, aut extra Christi personam.

Addere etiam hoc placet, cum non discernas inter  $\nu \alpha \alpha \delta \epsilon \alpha \nu \tau \phi$  &  $\epsilon \nu \epsilon \alpha \nu \tau \phi$ , multa à te dici perperam. Ignosce queso, Beza praceptor, mihi discipulo, si Dijs placet, tuo. Multa certe habet  
I 5 Christus



Christus homo ἐν ἑαυτῷ, quæ accepit sibi communi-  
cata & donata, quæ non habet κατ' ἑαυτὸν, secun-  
dum proprietatem naturæ humanæ. Sed de his for-  
tasse aliàs, cùm redieris, Beza. Scrupulosè enim  
nunc non agimus, cùm controuersia non sit sita in  
istis minutijs, quas tuo ductu etiam suprâ neglexi-  
mus.

**BEZA:** Præterea, si de gratia  
vñionis hoc, sicut dixi, accipiunt, sa-  
ne in eo grauitè hallucinantur, quod  
non aperte vbiquitatem defendunt.

Christi enim assumpta caro quatenus  
hypostatice cohæret cum natura assu-  
mente, tam sane vbiquè est, quam natu-  
ra ipsa assumens, sed illa quidem κατ'  
ἄλλο, vt sæpe dixi, ista vero κατ' ἑαυ-  
τὸν siue ἐν ἑαυτῷ. Sin vero habitualement  
gratiam ipsi intelligunt, absurdus eti-  
am quam Brentiani scribere, & loqui  
mihi videntur, adeoq; semetipsos re-  
darguere. Etenim si quod nobis ob-  
iiciunt verum est, id est, si Christum  
hominem sua diuina potentia spoliat,  
quisquis statuit aliquid esse ipsi ἐδ' ἑαυτῷ

τομ



59  
top, an non rei sceleris istius peragun-  
tur qui non vbiq; , sed tantum vbiq;  
q; vult presentem illum esse posse  
definiunt? Plus enim est semel vbiq;  
q; esse, quam duntaxat vbiq; ve-  
lis.

SELNECCERVS Ad has præcla-  
ras scilicet tuas subtilitates responsum est supra li-  
tera D 4. themate 17. & 18. Rursum autem  
interrogo pios omnes & singulos, an credant Chri-  
stum, cuius humana natura vnita est diuinitati vni-  
one hypostatica, & est euecta ad dexteram maie-  
statis & virtutis DEI omnipotentis, posse corpo-  
re suo presentem esse, vbiq; vult esse. Hic  
cause status est, & non alius. Hic responde-  
Beza, aut tuas narrationes omitte. Si respon-  
deris te fateri sic se rem habere, bene est, & iam  
vicimus. Sin verò negaueris, & contrarium di-  
cere volueris, omnium fidelium vnanimi consensu,  
& calculo, vt putre & blasphemum membrum,  
recidendus à corpore Ecclesie Christi iudicaberis.  
Medium hic nullum est, quicquid sane subtiliter &  
versute dicas.

Quòd affirmas, si gratia vnionis consideretur,  
Christi



Christi carnem assumtam tam sanè ubiq; esse, quam  
assumentem naturam, tibi gratiam habeo. Etsi  
enim tuis glossematibus unionem illam tantum ex para-  
te definis, nescio quo in loco aut latere natura hu-  
mana sit coniuncta diuinae, tanquam caruncula siue  
particula quaedam adherens τοῦ λόγου Christo  
Deo ( hoc enim ex omnibus tuis disputationibus se-  
qui, velis nolis, necesse est ) tamen veritate conscien-  
tiam tuam urgente & conuincente dicis tandem ali-  
quid, quod pijs gratum est. Et τὸ ἄλλο nobis  
non est aduersum, modò addas, reuera, non titulo-  
tenus: quod quomodo fiat, cum rationem unionis  
non possimus in hac vita intelligere, discendum ad  
aeternam Scholam reseruamus, & interea verbo  
manifesto, in quo voluntatem suam Christus nobis  
patefecit, nitimur.

Etsi autem aliquid, vt iam dixi, bene dicere  
cepisti, tamen ad vomitum redis priorem, Beza, &  
Christo homini esse affirmas, impossibile aliquid,  
( quod nihil aliud, nisi Christi presentiam in Cœna  
corporalem intelligis. ) Nos verò dicimus:

Quicumq; statuit, aliquid Christo homini sedenti ad  
omnipotentis Dei dexteram, esse ἀδυνατοῦ-  
is reuera Christum hominem sua potentia diui-  
na spoliat.

Tu Beza statuis, Christum hominem non posse face-  
re, quæ vult.

Ergo latro & spoliator es diuinae potentie Christi  
Fratris nostri.

Hic



Hic non curamus Plinianas, Philosophicas, & phisicas, & impias obiectiones, sed eas ad infernum relegamus, quales sunt: Non potest mentiri Christus. Ergo aliquid non potest &c. Horum aliquid non posse (inquit Theodoretus preclare) signum est infinite potentia, non imbecillitatis. In cæteris verò cum Augustino dicimus: Qui secundum Deum sapiunt, omnium, quæ incredibilia videntur hominibus, & tamen scripturis sanctis, quorum iam veritas multis modis est asserta, continentur, maximè argumentum tenent, veracem Dei omnipotentiam, quam certam habent nullo modo in eis posse mentiri, & posse facere, quod ἀδύνατον, impossibile est infideli. Dicimus igitur Christo homini non tantum nihil esse impossibile, sed ne arduum quidem, si modo de ipsius voluntate constet. Non enim habemus Fratrem ad dexteram Dei infirmum, à nobis absentem, & minimè gemitus nostros, resq; nostras omnes cognoscentem, dijudicantem, exaudientem: sed Christum Deum & hominem omnipotentem & veracem, servantem suæ promissionis & institutionis, & nobis invocantibus ipsum, presentem & κατὰ ἴσιν, Deum & hominem, Emanuelem, cor nostrum, tam vicinum & præsens nobis, quàm est cor nostrum. O IESU Christe, Fili Dei, Deus & Frater noster omnipotens, auge & confirma in nobis hanc fidem. Amen. O IESU Christe Amen.

*ergo mentiri non potest ergo aliquid non potest fieri hoc est signum infinite potentia non imbecillitatis*

BEZA





**BEZA:** Deinde si Christi caro non ubiq; est, & tamen ubiq; pro-  
tenditur eius potentia ( quod sane ve-  
rissimum est, quoniam omne genu cor-  
ram ipso flectitur ) quomodo non ip-  
sime evertunt quod in nos extruunt,  
ideo nimirum nos Christi carnis po-  
tentiam destruere, quia non nisi in  
coelo nunc illam esse ad vltimum di-  
em vsq; futuram doceamus.

**SELNECCERVS:** Non negamus  
posse Christum hominem ubiq; esse, modo nobis im-  
perscrutabili, quia ubicunq; est Christus non absq;  
humana natura est: sed nunc de voluntate ex verbo  
expresso iudicamus, vt supra diximus copiosius,  
pagina D. thes. 12. & 19. *pag.* Quare haec tua  
subtilitas se ipsam destruit, quemadmodum etiam  
βατιολογία, quae sequitur.

**BEZA:** Si, inquam, negatur  
Christus homo esse Dominus, ubiq;  
cunq; negatur esse re ipsa, & in sese  
praesens, an non hoc ipsimet faciunt,  
quum ubiq; esse negant, sed tantum  
ubicunq;



vbicunq; vult, ibi demum esse affir-  
mant;

SELNECCERVS: Nos verbum  
Christi habemus. Tu cerebro tuo philosophico &  
inquieta indulges. Agnosce Beza, omnium Domi-  
num, agnosce vniuersitatis Deum, fratrem nostrum,  
agnosce in tribunali Dei tribunal Christi DEI &  
hominis. Ama vitam, ama salutem tuam, ama  
à quo creatus es, à quo redemptus es, à quo defen-  
deris, metue à quo iudicandus es. Velis enim  
nolis manifestandus ante tribunal hominis Chri-  
sti es, & seposita impietatis blasphemia, ac vera-  
borum infidelium cantilena, si aliud putas cœlum  
& tribunal DEI esse, quàm Christi hominis, ve-  
nies ante tribunal Christi hominis, & inuenies  
vtiq; documento inexplicabili, ipsum tribunal  
DEI esse, quod Christi hominis, & totam in  
Christo Filio Dei & Mariæ, & Filij DEI &  
Mariæ maiestatem, & Patris DEI potestatem.  
Cohibe igitur linguam effrenem: non peruerte  
verba bonorum, qui non dicunt, vt tu effutis,  
(CHRISTVS homo tantum ibi esse potest,  
vbi vult) sed [omissa particula tua (tantum)]  
in qua serpentinus & sycophanticus dolus tuus  
latet, expressè ita loquuntur: CHRISTVS  
homo potest esse, vbicunq; vult esse, siue vbiq;, siue  
diuersis in locis simul & semel. Hæc potentia  
diuina est, quam ὁ λόγος sua carni siue  
Christo



Christo homini communicavit, modo diuino, arcano  
& nobis incognito. Ne autem, vt aliquoties dixi-  
mus, à potentia absoluta ad ipsum velle argumenta-  
ri videamur, sed in patefactione iuxta verbum Chri-  
sti maneamus, duas regulas tenemus, quæ sunt:

1. Christus potest esse non tantum naturâ suâ  
diuinâ, sed etiam humana, cui diuinam potentiam  
in seipso communicavit, atq; corpore & sanguine  
suo, vbicunq; vult esse, etiam in omnibus, si velit, aut  
diuersis in locis, manente tamen salua & inuiolata,  
non expansa, non diffusa, non diducta in infinitum,  
humana eius natura.

2. Christus corpore suo & sanguine verè  
præsenti, præsens est ibi, vbi se verbo suo velle esse  
dixit & promisit, etiamsi illud rationi humane, &  
rerum physicarum processui & proprietati absur-  
dum & contrarium videatur. Hæ duæ regulæ  
sunt immotæ, & loquuntur de omnipotentia Chri-  
sti, & de veritate verbi Christi. Et non dubium  
est, quin piæ mentes in illis acquiescant, & non fa-  
cile plura moueant vel de Vbiquitate, vel de Locali-  
tate physica.

**BEZA:** Deniq; vnde hæc res  
alis præsentia in Cœna Domini?

**SELNECCERVS:** Ex ipso, mî homo,  
verbo & voluntate Christi: Accipite, edite, hoc est  
corpus meum; Bibite, hic est sanguis meus. Huic  
verbo



62

verbo cur te opponis, qui es stercus, cinis & terra?  
Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Quid  
enim omnis sapientia hominis, respectu verbi Christi?  
Da Christo laudem omnipotentiae & veritatis,  
& ulterius non disputa, tunc omnis contro-  
uersia definietur.

**BEZA:** Si ex hypostatica unione, ut contendunt Brentiani, quorum sum ad sessionem ad dexteram Patris deuenietur? inepte profecto nisi cum ipsdem illis sessionem ad dexteram & incarnationem pro vno & eodem accipias. Sin vero ex ipsa sessione ad dexteram, quod isti urgent: aut certe veniendum non fuit ad Coenae verba, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus, quum illa sessio sufficeret: aut duplex statuendum fore istius praesentiae fundamentum, nempe sessio ad dexteram, quae faciat ut adesse possit: & illa institutionis verba, quae tamen profecto non faciant ut adesse possit, aut velit, aut etiam ut adsit, sed tantum testentur, quod adesse velit, & adsit.

K

SEL



**S**ELNECCERVS: Friuola hæc sunt,  
& furiosa, vt Cassiani verbis vtar, & insanientibus  
insaniora. Agimus autem Iesu Christo Filio Dei  
& Marie, DEO & Fratri nostro omnipotenti,  
gratias, quod non tantum vno articulo fidei & con-  
fessionis nostræ, sed articulis fidei pluribus, idemq;  
vno consensu, quod confitemur, probantibus & af-  
firmantibus nitimur. Primum enim est vnio diuinarum  
naturarum hypostatica. Vna enim cum sit persona  
Christus Deus & homo, facillime potest facere ea,  
quæ vult, de quacunq; natura dicantur illa. Se-  
cundò accedit sessio Christi hominis ad dexteram  
Dei Patris omnipotentis in eodem throno, in iisdem  
cælorum cælis, in quibus est Deus Pater, Deus Fi-  
lius iam Frater noster, & Deus Spiritus sanctus.  
Ergo potest Christus homo facere, non tantum ea,  
quæ expresso verbo suo promisit, sed etiam omnia  
alia, quæ vult, de quibus in æterna vita colloque-  
mur. Tertiò non tantum potentia & dignitas  
illa, de qua dixi, nostram fidem & confessionem  
stabilit, sed etiam accedit voluntas in verbis insti-  
tutionis euidenter patefacta, quæ licet non faciant,  
vt ais Beza, vt adesse possit, aut velit, aut etiam  
vt adsit, tamen certò testantur, quod possit &  
velit adesse, & quòd reuera corporali presentia  
adsit. Hæc igitur habemus fundamenta, quæ  
siue simplicia, siue duplicia nomines, nihil ad  
nos. Articuli enim fidei sunt distincti, &  
confirmant tamen vnã eandemq; fidem.

Tu  
nunq



63  
nunc accede cum manipulo tuo, Beza. Ostem-  
de, quaeso, quod habeas fundamentum tuae disputa-  
tionis praeclearae. Idem, nisi fallor, quod Aristote-  
les, quod Ethnici, Turcae & philosophi omnes  
mente & sensu aliquo praediti. Quale illud au-  
tem est? Corpus physicum est in certo loco, &  
non potest simul & semel in diuersis locis esse.  
Item, Panis non est corpus hominis. Vinum non est  
sanguis hominis. Ergo in Coena non adest, non  
distribuitur, non accipitur corpus, aut sanguis  
CHRISTI. Haec scilicet fides est Christiana,  
imponens & praeficiens asinum CHRISTO,  
non CHRISTVM a sino. At nos, qui Chri-  
sto credimus & obcedimus, verba CHRISTI  
anteserimus omnibus regulis physicis, & nos ne-  
quaquam falli certo scimus, nisi ipsum CHRIS-  
TVM falsum esse, & deceptorem dicere veli-  
mus, quod absit in aeternum. Cum CHRIS-  
TO errabimus (si ita vis, Beza, ut loquamur)  
magis, quam ut tecum tuo iudicio recta incedamus.  
Cum CHRISTO stabimus, cadentibus omni-  
bus, qui ipsius ori contradicunt. Si CHRISTVS  
nos verbo suo in errorem aliquem inducit (quod  
verum esse nunquam potest) optime de nobis agi-  
tur. Tu vero si nos a verbo Christi auocas & re-  
trahis persuasos tuis physicis argumentationibus,  
peissime de nobis agitur. Malo eligere errorem Chri-  
sti (si ita loqui non sit profanum) quam totius mun-  
di, nedum Bezae, regiam viam. In CHRISTO  
K 2 enim

Nota  
be  
ne



enim vita, consolatio, & salus mea. In hominibus autem & physicis medijs, si errant, damnatio mea iustissima.

Sessionem porrò ad dexteram, & incarnationem pro vno & eodem accipi, nusquam ostendere cum possis, Beza, mendacium hoc ad te relego, fingentem & peruertentem multa, quæ te, si bonus esse velis, non decent.

**BEZA:** Et de primo quidem accusationis capite hactenus.

SELN: Egregiam verò laudem, & spolia ampla refers, Beza, qui nihil minus ostendisti, quam potentiam diuinam Christo homini à te non adimi. Summa enim tuorum, quæ dixisti, hæc est: Christus homo non potest pluribus simul esse locis, etiamsi velit. Item, Christus in Cœna præsens non est præsentia corporali. Item, Christo homini quod non aliquid sit ἀδύνατον, siue impossibile, dici nequit. Eia igitur, homo mi, de te ipso quæso iudicium facias, ne quid iam dicam amplius. Multa cum dixeris, nihil dixisti, sed te ipsum prodidisti & iugulasti. Audiamus autem responsionem tuam ad secundum, quod vocas, accusationis caput.

**BEZA:** Obijciunt rursus, quod eidem Christo veritatem promissionis



64  
missionis & Testamenti adimamus.  
Horrendum profecto scelus. Sed si  
satis est accusare, aiebat ille, quis in-  
nocens euaserit? Quæro igitur an  
non fateantur Christi veritatis, promi-  
ssionis ac Testamenti participes fieri  
oportere, quocumq; seruantur. Nisi  
enim hoc verum sit, erit aliqua extra  
promissionem & Fœdus Domini sa-  
lus, quod est omnium absurdissimum.  
Ergo fateantur ipsi necesse est, si Chri-  
sto homini veritatem promissionis &  
Testamenti adimunt, quicumq; re-  
aliter eum præsentem esse & dari non  
confitentur, se ipsos esse huius scele-  
ris reos, vt qui in sola Cœna Domini  
hoc præsentia genus vrgeant, quum  
tamen credentes & baptisatos, etiam  
ante Cœnam Domini peractam, ser-  
uari concedant, ac proinde ratam esse  
in illis fœderis promissionem: aut, si  
verum istud non est, agnoscant nos  
immerito tanti sacrilegij reos traduci.

SELNEC: Testamenti Christi veritatem  
à te impugnari scripsi, dixi, scribo, dico, affirmo.  
Testamentum verò intelligo in controuersia, de qua  
K 3 agitur,



agitur, ipsam Coenam Domini, in qua sunt legata  
quæ pane & vino benedictionis vescentibus distribu-  
untur, corpus & sanguis Christi, ne de spirituali-  
bus beneficijs iam dicam. Tu nunc quid facis?  
Eludis, rides, peruertis, & extenuas non tantum  
mea verba, sed ipsam ipsius Filij DEI coenam, &  
Testamentum sacrosanctum, inquiens: Saluari po-  
ssumus etiam sine Coena. Ergo opus non est, ut in  
coena Christum praesentem esse statuamus. Hæc  
scilicet est mundi pietas, hæc gratitudo, hæc reue-  
rentia & affectio erga Testamentum Filij DEI,  
quod Coenam Dominicam nominamus. Voluit  
optimus Pater & Frater noster IESVS Christus  
non tantum verbo, sed etiam sigillis suam erga nos  
paternam & fraternam benevolentiam & caritatem  
ostendere, exhibere, probare, confirmare, & nobis  
esse proximus, etiam corpore & sanguine suo.  
Nunc quid nos? Quid? inquit Beza, seruari  
possumus etiam ante Coenam, & absq; Coena, si  
modò credimus & baptisamur. Sed an non hoc  
est alapam Christo impingere, & iustificare Do-  
minum altissimum? Audi autem, Beza, si homo  
es, multò magis, si Christianus es, si modò es. De  
coetu Ecclesie visibilis hîc loquimur, vbi Sacramen-  
torum vsus haberi potest. In hoc coetu quicumq;  
contemnit aut negligit aut omittit sua culpa vsum  
Sacramentorum, eum non seruari certo certius con-  
stat, quia mandatum Christi contemnit: Hoc facite.  
Quid autem praesens sit, detur & Quid accipiatur  
in



65  
47

in Coena, Christus ipse sua voce ostendit inquiens: Accipite, edite, hoc est corpus meum, Bibite, hoc est sanguis meus. Aliud autem est, cum quis in Ecclesia visibilis coetu esse non potest, & tamen vera in Christum fide viuit. Hinc vetus illa forma loquendi, quod alij suscipiant Sacramentum & rem, vt infantes, & alij baptisati in fide, & credentes omnes accedentes ad sacram Synaxim: alij vero accipiant Sacramentum, & non rem, vt Iudas, Simon Magus, & omnes infideles in Ecclesia, hypocritae & impoenitentes: alij deniq; suscipiant rem & non Sacramentum, vt Lator in cruce, Martyres multi, & alij, captiui, aut alijs ineuicibilibus modis impediti, quo minus coetui visibilis Ecclesiae interesse possint. Inuisibilis enim sanctificatio saepe aliquibus inest sine visibili Sacramento, quod tamen, cum haberi potest, contemnendum non est, quia contemtor eius inuisibiliter sanctificari non potest.

LB

Manet autem, Beza, adhuc verum istud, te Christo homini veritatem promissionis & Testamenti, quod est Coena Domini, adimere, cum praesentem eum esse, & dari neges, atq; ita horrendi sacrilegij & sceleris reus perageris merito, tuo ore conuictus, cum non habeas, quo te purges. Nunc quid ad tertium respondeas, audiamus.

K 4 BEZA



**BEZA:** Itaq; istud video postea ad Cœnam Domini ab ipsis restringi, quod tertium est gravissimæ istius accusationis caput. In hac autem vociferantur isti negari a nobis veri & essentialis corporis Domini tum præsentiam tum communicationem.

**SELNEC:** Non vociferamur, à vobis ista negari, sed cum vociferemini, præsentiam & communicationem σωματικῶν nihil esse, merito querimur de vestra infidelitate.

**BEZA:** Quasi vero nos aut aliud corpus, quam quod pro nobis traditum est, aliumue sanguinem, quam illum pro nobis effusum Christo attribuamus.

**SELNEC:** Consiste Beza, & sic loquere: Quasi vero nos aut aliud corpus, quàm quod pro nobis traditum est, aliumue sanguinem, quàm illum pro nobis effusum, in Cœna esse, dari, edi & bibi doceamus. De præsentia enim & manducatione Corporis & sanguinis Christi in Cœna nunc agitur, non de eo, quid Christus sit, & quid ei attribuas.

**BEZA:**



BEZA: Id est, Christum in  
Gerionem aut Ianum quempiam  
transformemus.

*Notae Bezae*  
SELNEC: Christum esse statuitis vno in  
loco Deum & hominem: alibi vero tantummodo  
Deum: Item, in caelis caelorum Deum apud Pa-  
trem & Spiritum Sanctum: in aliquo autem caeli  
certo loco hominem separatum à sede maiestatis  
Dei: item, nobis presentem Deum, à nobis absen-  
tem hominem: vna facie contemplantem omnia, al-  
terâ vero tantum caeli horizontem sensibilem quen-  
dam. Hæc enim vestra est transformatio, de qua  
aliâs, Deo dante, si libet tibi, Beza.

BEZA: Aut quasi non vbiq;  
tot annis ad rauim vsq; responderis-  
mus, Sacramenta duabus rebus con-  
stare, vna terrena, puta pane illo, &  
vino illo, altera cœlesti, id est, vero  
tum corpore tum sanguine Domini.

SELNEC: Si ita sentitis, cur digladias  
mini? Adde Beza, *σωματικὸν ἄρτος αἰῶν*, quod  
scilicet Christus vero suo corpore & sanguine præ-  
sens asit in Cœna, sicut ipse dixit & promisit, &  
non erit amplius locus controuersie relictus. Que-  
so etiam, Beza, retine eius fidem & sententiam,

K 5

cuius

55  
48

*Errores*



quius verba allegas, Irenaei puta, qui ita inquit:  
Quemadmodum qui est à terra panis percipiens  
vocationem Dei, iam non communis panis est, sed  
Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena &  
coelesti: sic & corpora nostra percipientia Eu-  
charistiam, iam non sunt corruptibilia, spem re-  
surrectionis habentia. Et contra Valentinum:  
Quando & mixtus calix, & factus panis percipit  
verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis  
Christi, ex quibus augetur & consistit carnis no-  
strae substantia: quomodo carnem negant capacem  
esse donationis Dei, qui est vita aeterna, quae san-  
guine & corpore Christi nutritur?

**BEZA:** Num enim obsecro,  
ita insanimus, ut Sacramentum aliquod  
esse dicamus vbi nulla res significetur?

**SELNECCERVS:** Lubricus es, Beza,  
vulpino & serpentino more. Recta quae  
incede. Non enim agitur de significatione rei  
certae, sed de praesentia, quid adsit, quid detur,  
quid accipiatur in Coena. Adesse dicimus, dari  
& accipi verum corpus & sanguinem Christi.  
Tu haec significari tantum, & absentia represen-  
tari als.

**BEZA:**



67  
BEZA: Corporis autem & sanguinis nominibus quis unquam nostrum aliud, quam vera illa intellexit.

SELNECCERVS: Si adderes, vere presentia in Coena, sicut Christus promisit corporalem presentiam, res esset composita.

BEZA: Etiam si sacramentaliter illa de symbolis praedicari docemus.

SELNECCERVS: Hic prodis forex, perisq; tuo ipsius iudicio. Praedicationem sacramentalem de Symbolis vocas nihil aliud, nisi significationem & representationem rei absentis, ut tua verba ostendunt. Nos sacramentalem praedicationem non unam & eandem esse dicimus, faciente discrimen sacramentorum ipso Filio DEI verbis evidentissimis, ut alibi in Catechetica doctrina prolixè ostendimus. Ratio enim non est eadem omnium sacramentorum, nisi quòd ad spiritualem usum & fructum attinet. Et apponere huc libet verba ex Pædagogia nostra desumpta.

In omni sacramento animis hominum profuturo haec quatuor concurrunt: Promissio, mandatum Dei, signum

*In omni sacramento animis hominum profuturo quod concurrunt*



signum incurrens in oculos, & fides promissionis,  
Et omnia Sacramenta semper ad hoc data sunt, ut  
fidem confirment & nos de promissione commone-  
faciant. Discrimen est autem primum inter Sacra-  
menta veteris & noui Testamenti non quò ad fru-  
ctum: Omnes enim biberunt de spiritali petra,  
quæ erat Christus: Sed discrimen est in his duobus:

Sacramta  
V. & N. T.  
no sunt  
ejusde  
forma  
& ma.

1. Sacramenta veteris & noui Testamenti  
non sunt eiusdem materie & forme, sed mutata est  
in nouo Testamento materia & forma Sacramen-  
torum veteris Testamenti in aliam materiam &  
formam: Circumcisio in Baptismum: Pascha in  
Coenam dominicam.

2. Sacramenta veteris Testamenti fuerunt  
commonefactiones de futuris. Sacramenta autem  
noui Testamenti monent nos de bonis, quæ iam no-  
bis per Christum parta sunt & quotidie nobis in  
sancto ministerio dispensantur.

Deinde etiam discrimen constituit Filius Dei  
inter Baptismum & Coenam, non quò ad fructum  
sed quò ad substantiam. In Baptismo quidem Chri-  
stus non minus est presens sua efficacia & virtute,  
quam in Coena. Eadem enim est res vtriusq; Sacra-  
menti, videlicet, ipse Christus. Sed tamen tenenda  
est Regula: De Sacramentis & eorum substantia,  
differentia & usu iudicandum est, non ex generali-  
bus regulis aut ex thesi tantum, sed ex propria  
vnius



68  
vniuscuiusque institutione & disertis Christi verbis.  
Mandatum est de Baptismo: Euntes baptisate gen-  
tes in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti: Si  
Christus addidisset, hæc aqua est meus sanguis qui  
pro vobis effunditur, utique cum non nuda narratio  
aut parabola, sed institutio illa esset, sine discepta-  
tione crederemus verbis institutionis. De Cœna  
verò dixit: Accipite, manducate, hoc est corpus  
meum, quod pro vobis traditur. Hic disertis  
CHRISTI verbis moti, aliter de substantia  
Baptismi, & aliter de substantia Cœnæ loqui debe-  
mus, quod ut faciamus, mouent nos verba institutio-  
nis quibus fidem habemus, etiam si ratione nostra  
illud assequi non possimus. Et oro propter glo-  
riam Dei omnes pios & salutaris concordie nobis  
profectò nunquam vel coram Deo, vel coram homi-  
nibus nocituræ amâtes, ut acquiescant in hac senten-  
tia & se verbo Christi subijciant ac tribuant Chri-  
sto tandem omnipotentie & veritatis laudem ac sua  
ipsorum conscientie rectè consulant, & non se in-  
uoluant labyrinthis, quibus ipsorum conscientia tan-  
dem implicatur, & laborans & sudans hæret ut ve-  
rè testari possim. Credamus verbis Christi simpli-  
citer prolatis, simplici fide. Si quis sapere sibi vi-  
detur amplius, queso parcat simplicibus, & non  
damnet pias mentes. Si hæ existimantur errare,  
profectò bene errant inherentes simpliciter verbis  
institutionis, atque hic, si nominandus est, error,  
Christo placet admodum. Sinit enim Deus, ut in  
exemplis



exemplis maximorum Patriarcharum videmus  
sanctissimos viros simpliciter credere, etiamsi non  
intelligunt omnia. Et damnare simpliciter cre-  
dentes, & alios non nocentes, certè non humanum,  
sed diabolicum est, & poenis atrocibus dignum, vt  
proculdubio breui experiemur. DEVS nostri  
miseretur, & nos ad veritatem, pietatem & salu-  
tarem concordiam conuertat, Amen.

18  
Ceterum, quod ad vocem symboli in hac do-  
ctrina attinet, semper respondemus illud: Caro eius  
est, quam sub panis forma accipimus, & sanguis  
eius est, quem sub vini specie & sapore potamus.  
Figura enim & res ipsa siue veritas adest in Coena.  
Panis figura est. Veritas ipsum corpus est, quod  
ore accipimus, non tamen carnali modo, sed Sacra-  
mentali, siue mystico & imperscrutabili.

**BEZA:** At negatis, aiunt,  
eorum praesentiam.

SELNECCERVS: Verè negatis, &  
quod negetis negare nondum potestis, nisi consciens-  
tiae vestris vim inferre & contradicere velit.

**BEZA:** Sane si praesens de-  
um id esse intelligunt, quod sit eo  
ipso loco, vbi Coena celebratur & sus-  
mitur



59  
mitur, praesentiam illam prorsus ut  
commentum 1. Analogiae fidei, 2.  
Orthodoxae Ecclesiarum Confessionis,  
3. Veritati ascensionis carnis Christi,  
ex diametro repugnans, item ut ei  
communicationi, cuius causa sunt haec  
instituta mysteria minime omnium  
conueniens, repudiuimus & repu-  
diamus.

SELNECCERVS: Repudiet ergo te  
Veritas ipsa, id est, Christus, qui dixit ea, quae  
bus pertinaciter contradicis. Repetatur au-  
tem summa confessionis nostrarum Ecclesiarum,  
quam breuissimè recitabimus.

Quaestio est in nostris Ecclesijs, Quid in  
Coena Dominita exhibeatur & accipiatur.

Ad hanc quaestionem respondet ipse Filius  
Dei: Accipite, comedite, hoc est corpus meum:  
Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus. Con-  
fitemur igitur in Coena sacra praeter Panem &  
Vinum, (quae sunt externa elementa, quae in oculos  
incurrunt, & quae palpamus, sentimus, gustamus,  
comminuimus, dissoluimus, & more  
aliorum ciborum deglutimus) etiam verum cor-  
pus & sanguinem CHRISTI adesse praesentia  
corporali, & una cum Pane & Vino dari.



Et ore corporis comedi, Et bibi, modo tamen non carnali Et sensibili, sed occulto, mystico Et imperuestigabili. Hoc credimus, Et discipuli Christi sumus, Et verè infantes, quos nequaquam decet ea peruestigare, quæ ipse Christus sua omnipotenti Et veraci voce prolata, à nobis non cerni, Et ratione compræhendi, sed infantili, simplici Et reuerenti fide credi, Et pro certis haberi, Et debita obedientia præstari, Et quæ ibi promittuntur, dari, Et grato pectore humiliter Et reuerenter accipi, Et rectè vsurpari voluit.

Huius fidei Et confessionis nostræ confirmationes infallibiles sunt 1. Verba Christi dicentis: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur. Huius sapientiam, potentiam, Et veritatem præferre debemus omnibus rationis humanæ scrupulis. Et cum adhibentur ad verborum Christi considerationem circumstantiæ, personæ, quæ illa verba protulit, Temporis, quo ea prolata sunt: Rei, quæ his verbis sancita est, Et quæ nominatur Nouum Testamentum Et fœdus: Item, discipulorum, ad quos ea simpliciter sine ambagibus, Et parabolis, allegorijs, aut tropis, dicta sunt, non potest pia mens non acquiescere in confessione nostrâ, quam breuiter exposuimus. 2. Accedit consensus Euangelistarum, Et Apostoli Pauli. 3. Consensus item orthodoxæ vetustatis in Ecclesia, Et Doctorum omnium, quorum nullus unquam, vt Beza, tam temerarius, tam impudens, tam nefarius

*Græuim Stan  
tia ad ver  
borum Chr  
de Sacra  
ana con  
derantur  
π.*



70

nefarium fuit, ut scribere aut dicere auderet, Christum suo vero corpore & sanguine non esse presentem in Cœna: sed omnes testantur, Christum non tantum per fidem, aut corporis sui manducationem spiritualem, verum corporali etiam coniunctione, siue participatione naturali, per communicationem presentis corporis sui in Cœna, quæ fit, dato & accepto pane, in nobis habitare. 4. Accedit certitudo & πλῆροφροῦσα tuta & firma, quam affert animis simplex intellectus verborum Christi, confusis glossematibus & interpretationibus rationis humanæ, quæ licet aliquandiu suis architectis blandiantur, tamen tandem concidunt & pudefiunt. 5. Item, necessitas consolationum efficacium, de arctissima consociatione Christi, qua se nobis, & nos sibi coniungit: de remissione peccatorum: de resurrectione carnis nostræ mortalis & corruptibilis, &c.

Hæc alibi copiosius explicantur. Pereant autem sua culpa, qui rationes illas leuiter curant, & moueri illis sese non patiuntur. Nos cum Dauide dicamus: Statui ut non transgrediatur os meum, custodio me in verbo labiorum tuorum, ab operibus hominum in vijs latronis. Sustenta gressus meos in semitis tuis, ne moueantur vestigia mea.

Sed quid fit? Dum nos confessionem simpliciter exponimus nostram, petimur vtrinque à Pontificijs, & à Sacramentarijs. Pontificij enim literalem sensum ita urgent, ut identicam prædicationem

L tionem



tionem fingentes, annihilari & perire substantiam  
Panis, & remanentibus nudis accidentibus in sub-  
stantiam corporis Christi cōverti, siue transsubstanti-  
ari perhibeant. Hinc inclusio, asseruatio, & repo-  
sitiō, circumgestatio, ἱερολατρεία, adoratio idola-  
trica, & alij horrendi abusus exorti sunt, de quibus  
nunc, vt agamus, necesse non est, refutante ipsos Pau-  
lo Apostolo his verbis: Calix benedictionis, cui be-  
nedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi  
est? & Panis quem frangimus, nonne communica-  
tio corporis Domini est? Panis ergo substantia in  
Cœna non aboletur, etiamsi non sit vulgaris Panis,  
sed talis, qui nobis multis verum Christi corpus com-  
mune, & singulis proprium facit, cuius manducati-  
one reddimur multi verè κοινωνοὶ participes, &  
singuli quasi proprietarij, & fruitores, vt ita lo-  
quar, eiusdem corporis Domini.

Quod ad Sacramentarios, & ad te iam in-  
primis, Beza, attinet, qui presentiam corporis &  
sanguinis Christi in Cœna nominas commentum, &  
Christum mendacij turpiter accusare non vereris,  
tria sunt, quæ affers, & quibus veram illam corpo-  
ralem presentiam, impossibilem esse, euincere fru-  
stra conaris.

Primum inquis: Commentum istud ( sic  
enim Testamentum Filij DEI nostri Redemptoris  
commendas, tu miserum stercus, & vermium esca )  
repugnat analogiæ Fidei. At horrendum hoc  
profecto



71  
profectò, si verum. Ostende autem quomodo, aut  
cui analogie Fidei. Hæc enim est analogia &  
natura Fidei, quæ iubet vt CHRISTO creda-  
mus in omnibus, quæ dicit, mandat, ordina-  
t, constituit, etiamsi illa physicis regulis, & rationi no-  
stræ impossibilia, & absurda videantur. Ipse  
enim nouit modum, quo facere potest, quæ se fa-  
cturum promisit. Ipse physica & antiphysica, hy-  
perphysica, & alia, quæ nobis impossibilia & ab-  
surdissima videntur, potest conciliare. Hanc quæ-  
so gloriam, hanc laudem omnipotentie & veritatis  
Christo tribue, vt analogiam Fidei serues, & in-  
ter nos ad veram salua fide concordiam confirman-  
dam peruenias. Considera sapientiam dicentis,  
potentiam dicentis, & veritatem dicentis, & nihil  
te amplius impediet, quò minus nobiscum frenum  
inijcias stultæ tuæ rationi, & te verbis CHRIS-  
TI libenter & humiliter subijcias, & petulan-  
tiæ tuæ veniam & remissionem ab ipso Christo ar-  
denter petas. Malus certè seruus fuisses in domo  
Abrahæ.

Secundò, inquis: Commentum istud (hor-  
resco referens) repugnat Orthodoxæ Ecclesiarum  
Confessione. Hoc verò planè e mentiris in eos,  
quos odisti, vt ostendit consensus & testimonium  
Antiquioris Ecclesiæ Catholicæ, quæ inde vsq; ab  
Apostolis, & horum Discipulis, & auditori-  
bus, voce Euangelij vbiquè terrarum, con-  
tinua



tinua quasi serie collecta & propagata est. In effe-  
ctu certè ( de dissimilibus enim locutionibus nunc  
non agimus ) hanc ipsam de substantiali presentia  
corporis & sanguinis Christi in Cœna, sententiam  
docuerunt & propagârunt præcipui Doctores Ec-  
clesiæ ubiq; terrarum omnibus temporibus. Vnum  
profer, qui presentiam illam neget, Beza, & tibi  
credemus. Et à D. Philippo Præceptore collecta,  
& edita esse testimonia purioris Ecclesiæ, tibi non  
ignotum est, quæ etiam nostris institutionibus inse-  
rere placuit, ad quæ Lectorem remitto.

Tertium, quod affers, est veritas ascensionis  
carnis Christi, cui ex diametro repugnare ais præ-  
sentiam substantialem corporis & sanguinis Chri-  
sti in Cœna. Audi autem, mi Beza, tibi impera,  
vince te ipsum, & rationem tuam ceu asinum subijce  
Christo, & sic cogita & loquere: Tu Fili Dei Do-  
mine noster I E S V Christe, omnipotens & verax,  
Deus & homo, Creator & Frater meus, verbo tuo  
expresso te mihi ita reuelasti, quod cum Patre &  
Spiritu sancto sis verus, & æternus Deus, distincta  
persona à Patre & Spiritu sancto, & tamen vnus  
& idem Deus. Hoc credo reuerenter. Adauge &  
confirma fidei meæ imbecillitatem. Deinde ostendi-  
sti, quod mei & totius generis humani misertus te  
ita exinanieris, vt formâ serui assumpta frater meus  
fieres, & humanam naturam vnires tibi vnione per-  
sonali, & pro me victima fieres, mirabili & inenar-  
rabili



72  
rabili consilio, & immensa sapientia & bonitate.  
Credo hoc quoq; firmiter: adsts tu mihi, & fidem  
corrobora. Tuo te corpore humano post miseras  
omnes pro meis peccatis exantlatas & superatas,  
Victorem hostium, & Triumphatorem fratrem me-  
um ascendisse visibiliter in caelum, mihi etiam pate-  
fecisti. Te igitur tuo corpore in caelis esse, & sede-  
re ad dexteram virtutis Dei in throno Patris omni-  
potentis, & habere omnem potestatem in caelo &  
in terra, credo firmiter. Iuua me Domine, vt con-  
stans sim & maneam in hac fide. Tua est potentia  
immensa, & Tua dicta sunt adeo certa, efficacia &  
immutabilia, vt oporteat prius caelum & terram  
interire, quam vnum tuum serium dictum vanum aut  
irritum fieri. Tu igitur, qui potes omnia, cum mihi  
dicas, corpus & sanguinem tuum esse in Coena, &  
dari nobis comedendum & bibendum, quoties iuxta  
tuam institutionem Panem & Vinum edimus & bi-  
bimus, tibi tanto Domino, cur non crederem? Credo  
Domine, sed opem fer mea incredulae fidei. Cur enim  
non crederem? Tu certe sedes ad dexteram aeterni  
Patris, regnas infinita potentia, ubiq; viuus, potens,  
efficax, liberrima voluntate agens ubicunq; vis, &  
hoc ipsum, quod te dare in Coena affirmas, carnem  
videlicet tuam, a nobis assumptam, & pro nobis in  
mortem traditam, & sanguinem tuum, similiter a  
nobis assumptum, & pro nobis effusum ad remissio-  
nem peccatorum nostrorum, ubicunq; es, a te nus-  
quam seponis, aut abijcis, sed post illam semel factam  
L 3 insepa



inseparabilem vnionem, in tota aeternitate sustentas,  
gestas, foues, ideoq; quibuscunq; in locis, & quando-  
cunq; vis, verè dare potes, & impertis omnibus,  
iuxta institutionem tuam petentibus & accipienti-  
bus, dignis & indignis in tua Ecclesia, modo tibi fa-  
cilimo, nobis verò imperscrutabili. Tu enim cum  
sis & essentia infinitus, & potentia, etiam id quod  
finitum & ἄδιγρον sua natura est, reuera  
presens dare potes, quibuscunq; in locis id expeti-  
tur, & tu ipse te daturum promisisti, & omnia  
potes conciliare, quae nobis impossibilia & absurda  
videntur.

Hæc si nobiscum ad Filium Dei dicere potes,  
Beza, salua res est, & porrigemus manus inuicem  
plenas Fidei, Pietatis, Pacis, & Concordiæ. Hoc  
enim modo Articulus de Ascensione adeò non euer-  
tit nostram sententiam de presentia Corporis &  
Sanguinis Christi in Cœna, vt magis etiam eam sta-  
biliat & roboret, apud eos, qui suæ Rationis ocu-  
los præcludentes, oculis Fidei ἀσκαρδαμυκῆ ad  
solum verbum Omnipotentis & Veracis Domini  
nostri IESV Christi respiciunt, eiq; cum debita  
reuerentia credunt & obediunt.

Addam mea quæ antea quoq; scripsi, verba,  
vt etsi non te, Beza, tamen fortassè bonos alios com-  
monefacere possim officij & reuerentiæ erga Testa-  
mentum Christi Emanuelis. Verba hæc sunt:

Non dubium est, multos etiam pios his cogi-  
tationibus



73  
tationibus & tentationibus impeti, si statuatur  
vera presentia & manducatio Corporis Christi in  
Cœna, multa inde absurda sequi, cum rationis nostræ  
sapientiam consulimus. Quid enim est absurdius,  
quàm dicere, Christum in Cœna dedisse corpus suum  
manducandum Discipulis, cum tamen ipse corpore  
suo in mensa assederit, quasi Christus habuerit duo  
corpora, dans & datum. Quàm absurdum est cogi-  
tare, nos Christi corpore vesci, & corpus Christi si-  
mul & semel distribui in Cœna manducantibus pa-  
nem? An non omni rationi non absurdum tantum-  
modò, sed ignominie nomine, qua corpus Christi af-  
ficatur, notandum videri potest, Christi corpus fini-  
tum & inexpansum, ita velut distrahere, & in omni  
administratione Cœnæ, ubicunq; terrarum illa fit,  
presens adesse? Quid insanire est, si hoc non in-  
sanire est? dicit ratio. Quàm absurdum est, dicere,  
Ore nos accipere corpus Christi, nec tamen à nobis  
conspici, nec sentiri, nec quomodo hoc fiat, animad-  
verti, nec cibum illum esse naturalem, & tamen  
verum, nec corpus Christi diuidi in partes, nec com-  
mutari, sed dari nobis manducandum, modo arcano,  
cœlesti, & diuerso à corporali & communi usu ci-  
borum. Quàm ἀδύνατον est, indignos fieri &  
participes, & reos corporis & sanguinis Christi?  
Quid ad hæc & alia putas dicturos fuisse Platonem,  
Aristotelem, & omnes Philosophos, & Sa-  
pientes mundi? Hæc scilicet sunt paradoxa τῆς  
σοφίας καὶ ὁρθότητος, vt sapiens Philo locutus est.

L 4

Et his



Et his alijsq; , quæ inde enasci videntur, absurdis  
mentes non tantum Epicureorum, & solum rationis  
sua ductum sequentium, sed & piorum eò veniunt,  
vt secum disputent, & conscientia sua anxij sint,  
num rectè accipiant verba Christi, num alium com-  
modiorem sensum eis addere debeant. Christus,  
inquiunt, certè ascendit in cœlum, certè est verus ho-  
mo, quomodo igitur in Coena esse potest? Item: quid  
si edere corpus Christi, tantum de spiritali mandu-  
catione, quæ fit fide, & non aliter sit intelligendum,  
sicut 6. caput Iohannis innuere videtur? In qua  
sententia tuto pedem figam? Hic dum mens cir-  
cum spectat, duo habet, videlicet, ratiocinationes suas  
& verba institutionis. Ratiocinationibus concin-  
nis etiam pij interdum ita implicantur, vt arbitren-  
tur, se scopum attingere: sed cum examinant suam  
fidem, animaduertunt, se verba institutionis iuxta  
Pauli interpretationem accipienda, seponere, & de  
corpore absenti dicere, quod Christus & Paulus  
volunt præsens esse. Hic conscientia obijcit: negle-  
cto textu glossas arripiens aberrat. Quid ergo  
faciendum? Nihil sum, nisi puluis & cinis, inquit  
Abraham. Ridet Sara mea, id est, ratio humana,  
audiens promissionem & verba institutionis. Ta-  
ceat autem mulier in Ecclesia. Apud Deum enim  
nihil est, nec impossibile, nec difficile, nec arduum.  
Credamus igitur Christo, & audiamus Paulum,  
quantumcunq; res hæc vniuersa incredibilis & im-  
possibilis videatur. Cogita facientem & institu-  
entem



74

entem, & non erit incredibile, quicquid erit. Modum ipsi committamus. De alijs, quæ inde absurda videntur oriri, ipse disputet, & conciliet ea, quæ in hac vita assequi & conciliare non possumus. Ipse propriè locutus est, & non parabolam nobis proposuit, sed Testamentum reliquit, quod proprijs verbis etiam inter homines constare debet. Si ei propriè loquenti, & interpretem suorum verborum Paulum constituenti, simpliciter credimus, optimè credimus, minimèq; decipimur. Si decipimur, nihil inde incommodi nobis accedet, sed laudem potius & simplicitatis gloriam in illo die reportabimus. Si verò nostræ tantum rationi, conciliationibus, & argumentis philosophicis indulserimus, & decepti fuerimus, qualem conscientiam tandem habebimus, quam sententiam audiemus, quomodo consistemus? Malumus igitur errare cum Christo, si errare illud est, quod mundus erroneum vocat, quàm cum toto mundo plausibilia, & rationi consentanea dicere, cum in tota doctrina nostra Christiana, excepto Decalogo, nihil habeamus, quod rationi nostræ consentaneum sit. Atq; tantum sit dictum de nostrarum Ecclesiarum doctrina, fide, & Confessione, Quid scilicet in Cœna asit præsens, & quid detur, & accipiatur. Hanc doctrinam cum repudiare se dicat Beza, quid sperandum sit, non intelligo. Speramus tamen meliora, si non in hac vita, certè ad Filij Dei aduentum.

L §

BEZA:



**BEZA:** Sin vero praesentiam non ad loci & corporum situm, sed ad fidei obiectum referunt, quae tum verbi promissione, tum Symbolis quae offeruntur tanquam alis subuecta in caelum usq; assurgit, ibiq; Filium DEI conspiciit & amplectitur, hoc sane sensu tantum abest ut praesentiam carnis Christi inficiemur, ut e contrario haec Symbola pro certis illius praesentiae & dationis pignoribus habeamus.

**SELNECCERVS:** Primùm manifestam Ecclesijs nostris iniuriam facis, Beza, quod traducis eas hoc nomine, quasi praesentiam ad situm loci & corporis referant. Nullam enim localem inclusionem, nullum situm physicum, nullum descensum, nullum corporum positum fingunt, sed Christo modum committunt, quo possit esse praesens corpore & sanguine suo in Coena, & sciunt ipsum plures habere modos, quàm tantum physicos & locales, quibus ubiq; vel alicubi esse potest, pro ut vult. Deinde praesentiam illam tantum refert ad fidei obiectum, quae symbolis illis, pane nimirum & vino, tanquam alis subuecta in caelum usq; assurgat, & corpus & sanguinem Christi in certo coeli loco, vel ad Orientem, vel Septentrionem, vel in alio mundi cardine, aut  
supra



supra sphaeras coelestes locatum, apprehendat imaginatiue, & ita eius particeps fiat. At haec tua imaginatio verbis & institutioni Christi ex diametro repugnat. Verba enim Coenae non dicunt: Ascende in coelum, sed Hoc, quod adest, quod exhibetur, quod comedis, sumpto & manducato pane, est corpus Christi pro te datum, & Hoc, quod bibis, sumpto calice, est sanguis Christi, &c.

Non piget hoc loco recitare verba doctrinae, & consolationis plena, quae D. D. Eberus Praeceptor mihi carissimus, ὁ ἁγίου, Confessioni suae inseruit, digna diligenti, assidua & pia meditatione. Ea haec sunt:

**P**erpendat mihi prudens lector, quam periculosa se & languide in erigendis ac confirmandis pauidis & mole peccatorum suorum oppressis & consternatis mentibus, hi procedant, qui spirituale tantum manducationem Corporis Christi in Coena admittunt, Et id sola fide ad dexteram Patris in caelo per immensa locorum intervalla quaerere & manducare spiritualiter iubent. Nam etsi haec quoque consolatio est non parua nec contemnenda, cum in doloribus & terroribus talibus conscientiae, caelum conscendere ac penetrare iubeor, ut Dominum ac Redemptorem meum Christum Iesum sedentem ad dexteram Patris, & cum eo potentia pari regnantem



regnantem, mente intuear & complectar, atq; ita  
carne & sanguine eius, spiritu & fide ardenti ve-  
scar: Tamen non est in omnibus Spiritus adeo  
excitatus & fidei robur tantum, vt doloribus & an-  
gustijs oppressæ & conclusæ mentes se attollant, &  
supra cœlos vniuersos quasi euolent, & consolatio-  
nem illam in Christo IESU Domino suo sedente,  
& regnante in gloria ac maiestate Patris propostam,  
querant & apprehendant. Nam multarum  
imbecillium & consternatarum conscientiarum illa  
vna & potissima querela est, Quod robore illo fidei  
se se destitui, & mole peccatorum tanta grauari atq;  
excruciari sentiunt, vix vt oculos ad cœlum præ me-  
tu iræ Dei attollere, aut vllam creaturam Dei aspi-  
cere ausint, sicut Publicanus in templo orans: Taceo  
vt alacri & ardenti fide animosè penetrare cœlos,  
& ibi Domini sui alicubi certo in loco commorantis  
corpus apprehendere, & illius spirituali complexu  
se se recreare & reficere possint.

Sed Dominus noster IESVS Christus rectis-  
simè intelligit, qua ratione in consolandis miserrimis  
nobis procedere debeat. Nouit ipse & intue-  
tur penitissimè, corruptæ huius & deprauatæ natu-  
ræ nostræ infirmitatem, præsertim verò languorem  
& timiditatem eorum, qui terroribus peccatorum  
pauesacti, ac consternati sunt. Scit etiam quàm tene-  
ra & in momenta omnia periclitans res sit scintilla  
illa fidei in mente pia, ex Verbo per spiritus pri-  
mitias accensa.

Quare



Quare nequaquam initio statim ad illam infinitam maiestatem suam & lucem inaccessibilem, aut ad dexteram Dei pavidas mentes euocat, sed ad verbum nos ablegat, quod in terra homines nostri similes, auribus nostris denunciare ac inculcare iubet. Huius verbi cogitatione niti vult eos, qui consolationem salutarem quaerunt aut expectant, ab hoc fundamento vult fidei initium esse: Ea si adhuc langueret, ad Coenam porro nos suam deducit, quam in terra administrari iubet, addita hac promissione, quod ibi velit coram esse mihi, & corpus suum, quod ad dexteram Patris sedens nusquam deponit, in terra porrecto pane ad manducandum ori meo exhibere, & purissimum ac viuificum sanguinem suum, dato vino visibili, bibendum praebere, quo pignore sumpto & hausto sine dubitatione me vult statuere, quod omnium beneficiorum, quae morte sua peperit, vere particeps fiam.

Venit ergo ipse ad me, cum mihi ad ipsum corpore accedere sit impossibile. Nec alio me dulcissima inuitatione & mandato suo seuerissimo vocat, dum inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos. Venite, inquit, ad me. Quod ergo (dices) benignissime Domine veniam? An alibi es nunc, quam ad dexteram Patris tui in caelo, quod me & articulus fidei, & fortes illi, & in Spiritu ac fide ardentis Doctores ablegant, & te quaerere nusquam alibi sinunt?

Recte



Rectè, inquit Dominus, facis ista credens, Me ad dexteram Patris sedere, regnantem cum Patre infinita Maiestatis & potentia gloria. Sed cum te ad me voco aut inuito, non hoc postulo, vt ilico cogitatione & fide tua, in immensam illam & inaccessibilem amplitudinem ac lucem cœlorum euoles. Id enim lassato tibi, & delictorum ingenti mole grauato peccatori, scio tam esse impossibile, quàm seni cuiquam modijs aliquot frumenti onerato, montem excelsum conscendere. Sed ad eum te locum venire iubeo, quò prius ipse ad te descendi.

Id, inquires, vbi locorum est? In Terra, respondet, in qua vermiculi instar vagaris & reptas, vbi & ego aliquando reptans inter vos homines Vermis, & quasi non Homo concionatus sum, & per ministros meos, quos mundus ipsos quoque pro vermibus habet & conculcat, adhuc concionari soleo, vbi in Cæna mea ritè celebrata, Corpus & Sanguinem meum substantialem distribuo, ibi, inquam, certò me præsentem inuenies, ibi Verbum meum audiens & fide amplectens, ibi Corpus & Sanguinem meum cum rebus terrenis & visibilib. à me verè exhibitum manducans & bibens, refectioem & requiem fesse ac delassate animæ tuæ, & omnium deniq; peccatorum tuorum, quantocunq; pondere aut mole ea fuerint, remissionem te inuenire firmissima fide statues.

Postquam verò iam languore ac lassitudine ista tua, & peccatorum atque iræ Dei pondere, montis instar



instar te grauante ac deprimente, hoc modo liberatus fueris, & misericordiae meae beneficio & Spiritus mei efficacia valere, vigere, & ardere animo te senseris: Tum sane organum meum electum, Paulum Apostolum tuto audire & sequi poteris, vt à terra attollere, & ad maiestatis meae thronum accedere propius incipias, vt qui non sis amplius in sepulchro peccatorum & mortis defossus: Sed ex illa peccatorum & mortis voragine per me ereptus, & mecum resuscitatus, & viuificatus, queras deinceps, quae sursum sunt, vbi ego ad dexteram Patris sedeo, vt Coloss. 3. Paulus inquit. Item, Philipp. 3. Πολιτὸν μὲν nostrum in caelis est, vnde & Saluatorem expectamus Christum I E S V M.

Ita in Coena hac consolationem multò certiorē, durabiliorem, pleniorē & efficaciorē, aduersus omnis generis tentationes & terrores paratam habemus, cum praesentiam veri Corporis & Sanguinis Christi in Coena, credimus & retinemus. Quae consolationis efficacia tota quasi euanescit, vel certè languidior est, cum in ingentibus animorum consternationibus ob conspectum nostrarum sordium, & immensitatis iustae aduersus nostra scelera irae DEI, vel nos ipsos vel alios, ad arduam illam & difficilem cogitationem, de sola manducatione Spirituali Corporis & Sanguinis Christi deducimus.

BEZA:



**BEZA:** Non igitur praesentiam negamus, sed eam ponimus, quae & analogiae fidei & Sacramentali institutioni convenit.

**SELNECCERVS:** Quam ludas vocabulo [ Praesentiae ] cum nihil aliud, nisi absentiam intelligas, supra ostendi pagina D. themate 21.

**BEZA:** Si de Verbo DEI quaeritur, nullum sane expressius habemus, & in quo libentius acquiescimus, quam ipsius Coenae institutione, Hoc ( id est, Hic panis ) est corpus meum, Hoc poculum est sanguis meus. Hinc eliciunt ipsi realiter praesens, id est, eo ipso loco adesse corpus Domini & eiusdem sanguinem, in quo loco sit ipse panis & vinum.

**SELNECCERVS:** Si acquiescis, Beza, in verbis Christi, cur rixaris? Si vero non acquiescis in illis, & tamen eadem allegas, cur te & alios fallis, & conscientiam tuam oneras multipliciter? Si corpus non realiter praesens est in coena, cur Christus dixit, Accipite, edite, hoc, quod accipitis & editis, est corpus meum? Si spiritum fingis,  
cum



cum Christus corpus nominet, spiritum certè manducare non possumus, & verendum est, ne prorsus aboleas verum & humanum Christi corpus, quod sumto intra os & manducato pane, insensibiliter, verè tamen, manducatur.

**BEZA:** At ista consecutio quo tandem firmamento nititur?

**SELNECCERVS:** Verbis Christi, qui fallere nos non potest.

**BEZA:** Repugnat enim veritas corporis Christi,

**SELNECCERVS:** Christus suo corpore & sanguine præsens in Cœna, & nobiscum esse potest iuxta veritatem promissionis suæ, manente salva tamen & integrâ veritate corporis sui: quod quomodo fieri possit, etiamsi ego & tu Beza, non intelligamus, tamen Christus propterea non mentitur, sed optimè scit, quomodo omnia, quæ promisit, facere possit, sine naturæ abolitione. Malè enim imò pessimè de nostra Fide & vita ageretur, si ita argumentari nobis liceret: Christus hoc dixit. Sed hoc videtur nobis ἀντιστροφὴ. Ergò à verbis Christi potius discedendum est, quàm ut phisicas regulas seponamus, aut rationem nostram verbo Dei subijciamus.

**M**

**BEZA:**



**BEZA:** ascensionis historia: fides, inquit Vigilus, omnium Ecclesiarum perpetua, quod videlicet Christi caro sicut aberat a caelis, quum esset in terris, absit nunc a terris, quoniam sit in caelis, vnde etiam ventura speratur.

**SELNECCER:** Caro Christi in caelis est. At ubi? Ad dexteram Dei Omnipotentis, sicut maiestatem Dei dicimus esse in caelis. Potest autem Christus de corpore suo facere, quicquid vult, & quod promissit, id facit, quia Christus homo non tantum ascendit ad caelos, sed etiam in carne sua sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis super omnes caelos in caelis caelorum, siue in illa sede, quae Dei propria est, & de qua dicimus: Pater noster, qui es in caelis. Atque haec omnium Ecclesiarum perpetua fides est. Etsi igitur physice loquendo caro Christi est circumscripta, & per se ubique esse non potest, tamen Christus hyperphysico, coelesti & nobis imperscrutabili modo seruans est suae promissionis & institutionis: qua de re haecenus dictum est satis. Cogitemus quae sit persona, quae loquatur, & faciat ea, quae promittit. Si personam cogitauerimus, non erit nobis difficile credere verbis, quae illa est elocuta, & promissioni euidenti.

**BEZA:** Et vero nisi ita esset,  
cur



cur nos a Domino peregre nunc abesse diceret Apostolus? quæ tamen spirituales præsentia modum minime excludunt.

SELNECC: Paulus 2. Cor. 5. loquitur de corpore nostro, in quo nos aduenas esse, & peregre à Domino abesse dicit, nihil aliud intelligens, nisi nos nondum esse in patria, & nobis in his vitæ humanæ miserijs non esse manendum, sed in cœlestem patriam tandem redeundum. Per fidem enim ambulamus in hac vita, non per speciem, id est, speramus vitam æternam, etiamsi præsentem conspectu & facie Dei nondum fruamur. Sumus nunc Filij Dei, sed nondum apparuit quod erimus, scimus autem fore, ut cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Atq; hæc sententia nihil adimit nostræ confessioni. Qualis enim hæc consecutio esset, Deum non videmus, Ergo, Deum nobiscum non habemus? An non etiam scriptum est, Anima redit ad Deum, qui dedit eam? Sed an non Deus ubiq; est? & tamen animam ad eum redire rectè dicitur.

BE: Sin vero Sacramentalis institutionis finis & scopus consideretur, num, obsecro, hæc sunt mysteria instituta, ut corpora cum corporibus compingantur, an potius ut mysticum inde Ecclesiæ corpus capiti suo agglutinatum confurgat?

M 2

SEL



SELNECCERVS: Vesana hæc est  
rationis humane speculatio contradicens Verbis  
Christi, & in habitationem carnis Christi in nobis ad  
resurrectionis carnis nostræ certificationem infalli-  
bilem & solidam minimè ferens, ideoq; nescio quam  
corporum compactionem fingens. Cur autem Beza,  
non rotundè, & categoricè dicis, Verba Christi  
non esse vera, & Christum in nobis naturali sui cor-  
poris & sanguinis participatione non posse habita-  
re?

Mysticum Ecclesiæ corpus capiti suo agglu-  
tinatum certè non negamus, sed prædicamus, doce-  
mus, & retinemus. At insuper velle Christum  
non tantum spiritali agglutinatione, vt sic loquar,  
nobis coniungi, sed etiam substantiali corporis sui  
præsentia & in habitatione in nobis esse docemus,  
idq; non ex nostro cerebro, sed ex verbis, promissio-  
ne & institutione Christi Omnipotentis & veracis.  
Huic quæso quis contradicere volet, personam ipst-  
us, & suam quoq; salutem considerans?

Sed inquis, Beza. Sacramentalis institu-  
tionis finis & scopus consideretur. Sit igitur, vt  
mentem tuam intelligamus, hoc tuum argumentum:

Vna est ratio Sacramentorum, qua signo tri-  
buitur nomen signati, siue rei significatæ.

Cœna Domini est Sacramentum.

Ergò in Cœna signum obtinet nomen signati,  
& panis tantum est signum corporis Christi, &c.

Respondeo



Respondeo ad Maiorem :

Maior in scriptura caret omni fundamento,  
& à Sacramentarijs excogitata est. Quid enim &  
quomodo credendum sit de Sacramentis omnibus, &  
singulis, ex locis scripturæ ijs, in quibus Deus Sa-  
cramentum vnumquodq; instituit, sumendum est.  
Diximus autem de discrimine Sacramentorum su-  
prà, vt repetitione opus non sit.

**BEZA:** Quorsum igitur ad  
mysticam istam coniunctionem, realis  
iste siue corporalis præsentia modus,  
eo ipso loco caput constituens, vbi  
membra sunt? Sed hæc tam paucis  
absolui sane non possunt, quæ tamen  
paucis putavi delibanda, vt quid senti-  
amus & doceamus, & quid sit adhuc  
in controuersia positum, non ex in-  
conditis & maledicis illorum accusati-  
onibus, sed ex nobis ipsis omnes cog-  
noscant. Quæ de communicatione  
super sunt, facile ex superioribus intel-  
liguntur. Qualis enim est præsentia,  
talis quoq; est perceptionis & commu-  
nicationis modus, minime quidem  
certe imaginarius aut inanis, sed ve-  
rissimus & efficacissimus, etiamsi ani-

M 3

mo



mo & fidei manu fiat, nisi fortasse cri-  
minatores nostri vanum esse fidei ob-  
iectum, & inane ipsius effectum arbi-  
trantur. Dari igitur verum corpus &  
verū sanguinem siue ipsum Christum,  
absit vt inficiemur ( quomodo enim  
verum esset quod ait Apostolus, hæc  
esse communicationem corporis &  
sanguinis Domini? ) sed animo non  
corpore, fide videlicet non ore, non  
corporali, sed spiritali modo, non ad  
corporalem nutritionem, sed ad vitam  
æternam sumendum, non, inquam, vt  
substantiæ trañciantur aut permiscean-  
tur, sed vt quæcunq; ad vitam æternam  
tū animi tum resurrecturi corporis fa-  
ciunt, a Christo capite in nos, vera qui-  
dem sed mystica eius membra, deri-  
uentur. Hæc omnia si spiritalia  
sunt, cedo quorsum nobis iste realis  
& substantialis præsentia modus?  
quorsum ista manuum & oris sum-  
ptio?

SELNECCE: Ad has garrulitates re-  
spondimus supra litera D. themate 22. Addendum  
autem



autem etiam hoc est, ( quod verbis Ecclesie VVitea-  
bergensis recitabo fideliter ) nos de Sacramentali  
manducatione corporis, quam ore fieri dicimus, non  
ita pugnare, quasi velimus spiritualem manducatio-  
nem ab usu Cœne Dominicæ excludere, aut separare,  
quam certum est ipsa verba Christi instituentis  
Cœnam manifestè requirere, cum inquit de corpore:  
Pro vobis datur, & de sanguine: Pro vobis effundi-  
ditur ad remissionem peccatorum, Quæ verba sine  
vlla dubitatione requirunt Fidem, qua agnoscas &  
firmiter statuas, oblationem & mortem corporis  
Christi, & effusionem sanguinis in Cruce factam,  
prodesse ad compensationem & remissionem pecca-  
torum non modo aliquorum hominum, sed etiam tu-  
orum.

Eandem Fidem & spiritualem manducatio-  
nem requirit Christus, cum inquit: Hoc facite in  
mei commemorationem, hoc est, considerate, quare  
in hunc mundum venerim, assumpta carne vestra,  
cur in ea passus, sanguinem meum profuderim, &  
mortuus sim, non voluptatis certè & deliciarum cau-  
sa, quas in tam acerbis cruciatibus quærere aut ex-  
pectare non debui, Sed vestræ salutis causa, vt vos à  
peccatis vestris, ab ira Dei, à maledicto Legis, & æ-  
terna damnatione ad mortem & infernaliam tormēta,  
& à cæteris hostibus vestris liberarem, quæ quidem  
liberatio, cum omnibus bonis, quæ acquisiui hac mea  
obedientiæ



obedientia & morte, Vestra erit, si ea beneficia omnia, gratis oblata vobis in verbo meo, firma fiducia accipietis, illis fruemini & letabimini, tanquam verè vestris, & horum benefactorum meorum memoriam grata prædicatione subinde vobis renouabitis & celebrabitis.

Talem fidem & spiritualem manducationem requirit etiam Apostolus, cum inquit: Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, Mortem Domini annunciabitis. Item: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, significans, omnes eos, qui velint hanc cœnam sumere cum suo fructu, & effugere iudicium & pœnam, oportere in se descendere, & inquirere suam miseriam, & sordes peccatorum agnoscere, & serio dolore metuente iustam iram Dei, deplorare, & confiteri, quòd non possint ullis suis virtutibus aut bonis operibus, si qua habeant, ab ira Dei, & aeterno interitu sese vindicare: & tamen in his doloribus respicere & intueri Christum in Cruce, patientem & morientem, & causas illius passionis & mortis in hac innocente persona considerare, & beneficia per illam parta firma fide amplecti, & sibi applicare.

Hoc modo iubet Paulus seipsum Probare, & suam immundiciem ac naturæ corruptionem aspiciere, & mortem Domini annunciare, vt non alijs tantum illa, quæ gesta & impetrata sunt à Christo patiente & moriente, ostendas, sed tibi ipse, tuo con-

sternato



sternato & peccatorum conscientia sauciato & afflicto cordi, annuncies, & certò persuadeas, vt credat, hanc mortem pro te quoq; susceptam esse, vt tuorum peccatorum esset precium & compensatio, cuius beneficijs tu quoq; frui & letari possis & debeas.

Hoc vniuersum est & dicitur, Corpus seu Carnem Christi spiritualiter edere, & sanguinem eius spiritualiter bibere, quod omnino ad salutarem usum, & efficacem operationem huius Sacramenti necessarium est, id quod palàm confitemur, & in Ecclesia nostra auditoribus nostris sepe proponimus, declaramus & inculcamus.

Quod autem ab aliquibus Spiritualis manducatio tantopere prædicatur, quasi illa sola sufficiat in Ecclesia, vnde hoc sequeretur, hanc Sacramentalem manducationem præsentis corporis Christi nec necessariam, nec vtilem esse: eis verò nullo modo vel possumus, vel volumus suffragari. Nam si hoc ita esset, mox aliud inde concludi posset contumeliosum in Filium Dei: hanc Cœnam prorsus frustra sine urgente causa, & sine aliqua insigni utilitate ab ipso institutam fuisse, & proinde eius usum & omissionem pariter arbitrariam & liberam esse: Cùm tamen haud dubiè Christus, vt infinite Sapientie Deus, nihil fecerit & ordinauerit frustra, & supra dictum sit ex omnibus circumstantijs & gestibus & sermonibus ipsius colligi posse, magnum quiddam & arduum, & admodum necessarium eum in-



stitueret voluisse, quandoquidem Coenam suam ordinauit, ea ipsa ferme hora, qua cum morte & ira Dei, luctabatur, praemissa gratiarum actione & singulari ritu benedictionis, & talem quidem Coenam, quae debebat esse ad finem usque mundi certum quasi pignus & Arra Noui Testamenti, quod paulo post morte & sanguine suo signaturus & ratificaturus erat, ideoque eam nequaquam arbitrariam nobis esse, sed usurpari eo ipso modo, quem ipse sanxit, voluit, & serio praeepto mandauit, inquit: Hoc facite, minimeque contentus eam semel in tota vita, aut raro celebrari, sicut Baptismus semel acceptus, euilibet sufficit, & sine peccato non iteratur: Sed voluit hanc suam Coenam iterum atque iterum, imo in omnibus publicis congressibus ad sui recordationem usurpari, sicut Paulus testatur Christum dixisse, Hoc facite quotiescunque biberitis, & addit ipse: Quotiescunque enim comedetis panem hunc, &c. Item Quandocunque conuenitis, &c. Quasi velit dicere Christus: Cum hoc meum corpus pro vobis traditum accipitis & comeditis ad mei recordationem, & sanguinem meum pro vobis effusum bibitis ad mei recordationem, non poteritis hoc toties facere, quin mihi gratum sit futurum, & vos fructum istius vestrae sumptionis percepturi sitis, operante in vobis Spiritu sancto, qui haud dubie efficax est in ijs, qui verbum meum cum attentione audiunt, & Sacramentis meis legitime vtuntur.

CUM



Cum igitur hoc serium mandatum extet, & tempus ipsum, quo haec Coena instituta est, arguat & testetur, nequaquam eam sine grauissimis causis, & ad nullos singulares vsus Ecclesiae, toties repetendam, commendatam esse, etsi spiritualem manducationem maximi facimus, & summè vtilem & necessariam esse, & vsui Coenae huius omnino adiungendam esse, clara voce affirmamus & contendimus: Tamen non concedimus hoc cuiquam, alteram hanc Sacramentalem manducationem corporis Christi, quae fit ore corporis (vbi haberi potest) non ipsam quoq; necessariam, aut frustra institutam & inutilem ac arbitrarij vsus esse.

Et est profectò pudendum & turpe auditu, in Ecclesia Christi aliquot inueniri, & quidem in ordine docentium & gubernatorum, sapientia & eruditione multis alijs antecellentes, qui hanc sacratissimam Coenam, & Sacramentalem in ea manducationem corporis Christi, quam vniuersa Ecclesia Apostolica ab initio vsq; (sicut ex Paulo, & ex vetustis Scriptoribus, & ex Ecclesiastica historia manifestum est) omnibus temporibus pro ingenti & ineffabili, & preciosissimo Mystero, & pro Thesauro Ecclesiae, & pignore praesentiae & beneficentiae Christi, pro salutari medicina aegrarum conscientiarum, pro vinculo & neruo communis conuersionis membrorum in Ecclesia, habuit, praedicauit, & cum summa reuerentia in omnibus publicis congressibus, cum periculo saepe capitis, propter



propter Tyrannorum sauciam, tales congressus metu seditionis prohibentium & dissipantium, celebravit: ita vilem ipsi habeant, adeò extenuent, imò abijciant & contemnant, vt dicere audeant, eam nec necessariam, nec vtilem esse, eo quòd omnia illa, quæ hinc peti debeant, ex spiritali manducatione sumi queant:

Cum è contrario nos potius deceat, hoc Mysterium propter ipsum authorem pro necessario & summè vtili habere, maximi facere, & reuerenter, ac, sicut præcipitur, sepe vsurpare, etiamsi nullam nos necessitatis aut utilitatis rationem perspicere possimus, hanc ipsam ob causam, quòd scimus & fateri omnes necesse est, hanc Coenam & manducationem, quæ ore corporis fit, non ab aliquo vili homine, non à rege aut Imperatore, non ab angelo, sed ab ipso Filio Dei Domino & Fratere nostro IESV Christo, nos ardentissimo amore complectente, & nostra causa acerbissimos cruciatus & mortem perpeffo, institutam esse, cuius sapientia est infinita & incomprehensibilis, qui sine dubio in sua Ecclesia nihil frustra aut inutile sancit & mandat, cui nos decet, vt summo & sapientissimo, & fidelissimo nostro Magistro, cum competente reuerentia & obedientia credere & parère, sine vlla curiosa scrutatione & sciscitatione Quare? & Quomodo? more balbutientium puerulorum, qui reuerenter discunt, quicquid precatiuncularum & literularum pater eis proponit & præcipit, etiamsi in illa sua infantia nondum



nondum intelligunt, ad quid illa exercitatio & re-  
petitio crebra eorundem, necessaria & utilis sit: vel  
sicut Discipulus diligens suo Praeceptori obtempe-  
rat, audiendo Lectiones, & exercendo stylum in  
varijs exercitiorum generibus, & ordinem seruat  
lectionum & aliarum operarum, à Magistro suo  
praescriptum, etiamsi per imperitiam nondum in-  
telligit, quare primarum artium praecpta, quarum  
comprehensionem difficiliorem & insuauiolem esse  
experitur, priore loco, & tantà cum diligentia, imò  
cum superstitione & angustia discenda sint, cum for-  
tassis iudicaret ipse utilius esse, omisis illis spinosis  
praecptis, vagari per iucundos Campos Poëtarum,  
Oratorum & Scriptorum historicorum.

In summa haec obiectio, quae Necessitatem &  
Utilitatem huic manducationi Sacramentali à Chri-  
sto institutae detrahit, promanans ex curiositate &  
audacia caecae rationis, quae non veretur Dei Creã-  
toris sui opera & ordinationes ad suae lucis nor-  
mam & examen vocare, & corrigere velle conari,  
Hac inquam obiectio arguit animos parum reue-  
renter & magnificè sentientes de verbo & sanctio-  
nibus Dei, & cogitantes doctrinam coelestem oportere congruere, & ad amussim quadrare ad lumen  
rationis, quod fieri non posse, nec debere, osten-  
ditur, quando probamus, DEI infinitam sapi-  
entiam nequaquam à nostra lusciosa, vel exoculata  
potius & angustissima ratione comprehendi & con-  
cludi posse.

Quapropter



Quapropter etiam si nullam necessitatis rationem & utilitatem praesentiae corporis Christi in Coena, cernere ipsi, & ostendere alijs possemus: tamen propterea non patiemur nobis hoc eripi, de quo ex planissimis & verissimis, & efficacibus verbis Christi, & Diui Pauli, & aliorum fide dignorum scriptorum testimonijs certi sumus, Christum in Coena sua, rite seruata, non panem & vinum solum, sed etiam verum corpus & sanguinem suum manducandum & bibendum dare, & accipi voluisse, quantumuis id rationi impossibile, absurdum, & inconueniens esse videatur.

Nihilo secius tamen etiam aliquot non viles, & parui momenti, sed solatij plenissima & magnificiendae utilitates huius verae praesentiae corporis Christi in Coena alibi recensentur, quibus nos fraudare conantur ij, qui tantum fide, spiritualiter, absens corpus Christi in caelo residentis, accipi contendunt (quod etiam extra Coenam fieri potest, quotiescunq; Euangelij promissiones de Christo & beneficijs eius audiuntur, & firma fiducia accipiuntur) vnde necesse est sequi extenuationem & longiorem neglectionem, & in aliquibus etiam manifestum contemptum huius Sacratissime Coenae, quem tandem comitatur haud dubie profanitas in moribus, & securitas, trahens secum ingentem congeriem malorum & periculorum.

Hec



Hæc verbis Ecclesie VVitebergensis recita-  
re volui, vt videas, Beza, cui doctrinæ Illustrissimus  
Electoꝝ Saxonie sit deditus, & vt constet, tuam per-  
suasionem vanam esse & inanem. Cumq; hæctenus  
te audiuerimus in hac Prefatione de sensu & do-  
ctrina tua, & ea, quæ porro sequuntur in eadem  
prefatione, nullius sint momenti, sed partim calum-  
nijs, & olim Staphylo solitis insectationibus, partim  
hypocrisis insigni scateant, non diutius detinendum  
esse Lectorem ineptijs tuis, iudico. Et dabitur fortæ  
his occasio, & mea & tua vno libro comprahenden-  
di, vt origo, ac progressus, & collatio simul ostendat,  
quid in controuersia positum sit, & quid sentiamus  
& doceamus, quicquid turbarum sint auctores & cu-  
mulatores. Verè enim mirandum illud est, imò indi-  
gnandum & dolendum potius (vt cum Cypriano  
loquar) Christianos Antichristis assistere, & præ-  
uaticatores fidei, atq; proditores Ecclesie, intus in  
ipsa Ecclesia contra Ecclesiam stare: qui quoniam  
pertinaces aliàs & indociles, vel hoc tamen confi-  
tentur, quod vniuersi siue hæretici, siue schismatici  
non habeant Spiritum sanctum.

Nunc desinere mihi volenti occurrit locus  
Petri, quem vertisti: Oportet Christum cælo capi.  
Hanc versionem tuo sensu acceptam (Patrum enim  
quorundam locutionibus condonandum sæpe est ali-  
quid, quamuis nullum ex ijs ostendere possis, qui ita  
vel locutus sit, vel senserit) repudiauimus &  
repudiamus,



repudiamus, & breuiter sic dicimus: Verba Petri accipimus non peregrino & nouo sensu, sed secundum veritatem doctrine de Ascensione, quæ in sacris literis exprimitur his loquendi formulis: Ascendit ad cælos, Profectus est in cælum, Cælum accepit, Cælos penetrauit, Supra omnes cælos ascendit, Excelsior cælis factus est, Sublatus est in cælum, Ascendit ad Patrem, Ingressus est in gloriam Patris, siue in suam gloriam &c. &c. (quod consequens est) Sedet ad dexteram Patris, & habet omnem potestatem in cælo & in terra.

De cæteris agendum erit aliàs, si opus fuerit. Te verò, Beza, rogo, obsecro, obtestor, vt deinceps scribas ea, quæ ad causam spectant, ne vanitatibus extra causam adductis detinendus sit Lector, & vt in scriptione tua omittas ea, quæ manifestè calumniosa & falsa sunt, & ad quæ etiam conscientie & fame ratione tacere neq; possum, neq; debeo, & vt etiam mihi condones, si quid durius & liberius respondi in ijs, quæ infamiam tacenti attraherent. Nemini cupio nocere, DEO teste, quem fallere nemo potest. Cupientibus verò mihi immerenti nocere, licet condonare possim & debeam iniurias, tamen ostendo, non latere me ipsorum animum erga me. Cætera DEO vindici commendo & committo, teq; oro, ô Fili DEI, Domine noster IESUS V Christe, vt nobis adsis, & Ecclesie tue miserearis, meq; & nos omnes regas & gubernes Spiritu



ritu tuo sancto, & sanctifices nos in veritate tua, id  
est, in verbo tuo, ac coniungas nostros, praesertim  
docentium, animos vinculo pacis & dilectionis mu-  
tuae in fide & pietate vera. Aspice gemitus, lac-  
rymas, & preces nostras, O IESU Christe,  
Miserere nostri, & libera nos. Ne nos deseras  
in his mundi fecibus, & ruinis imperiorum, ac con-  
fusionibus horrendis & tetris. Tibi laus, tibi  
gloria, tibi honos, tibi gratia cum Patre &  
Spiritu sancto, vni, aeterno, omnipo-  
tenti & misericordi DEO, in  
omnem aeternitatem,  
Amen.

VVolfferbyti,

Anno M. DC. LXXII.

4. Iulij.

N

Index



# Index eorum, quæ proponuntur consideranda.

- Doctrina* { De persona Christi. B. 8.  
De duabus naturis. C. 7.  
De presentia Christi in Ecclesia.  
De ascensione. B. 8. C. 1. 7. 8. G. 7.  
De Coena.  
De tribus generibus Communicationis  
Idiomatum. G. 8. H. 7.
- Sacramentarijs quæ sit presentia corporis & sanguinis Christi in Coena. D. 5.
- Sacramentariorum argumenta & fallacia. D. 2. b.
- Collatio & discrimen doctrinae Orthodoxorum & Sacramentariorum. E. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & c.
- Regulae de Christo homine exaltato. H.
- Status totius controversiæ. D. 4. b. I. 6.
- Orthodoxi non de absoluta potentia, sed de voluntate Christi loquuntur. H. 5. b.
- Humane nature in Christo gloria & maiestas divina. H. 8.
- Vbiquitatis doctrina. I. 2. b. D. 4. b.
- Reale, réaliter. C. 6. H. 6. 7.
- Sacramentorum discrimen. K. 6.
- Exinanitio Christi. H. 1. b.
- Effusionis dictio. H. 8. b.
- Corporalis manducatio. L. 6.

Secundus



# Secundus Psalmus.

**C**VR fremuere mali, cur conglomerantur in  
(vnum

Gentes, inania populi cur cogitant &

Assistunt Reges terrae, summiq; dynastæ,

Et Principes & Consules se colligunt

Aduersus Dominum, Christo intentare volentes

Vim, bella, fraudes, machinas: & clamitant,

Istorum nodos, & vincula dirumpamus,

Nos non decet pati iugum, quod inferunt.

Qui caelis habitat, deridet & improbat illos,

Hostes & iritatus ipse deprimit.

Hic aliquando suo tandem consurget in aestu,

Ipsosq; conturbabit & pessundabit.

Constitui Regem (nam sic ait ille) supremum,

Ecclesiae Rex ille erit semper meæ.

Incipiet regnum venerando è monte Sionis,

Præstabit & quaecunq; iussero, lubens.

Nanq; ait: En referam Domini decreta, quod ipse

Ad me pater dulci locutus est sono:

Tu meus es, tu semper eris, suauissime Fili,

Hodieq; te genui Pater, te Filium.

Tu pete, quicquid erit, gentes tibi, cunctaq; regna

Hereditatem possidendam largiar.

Totus erit mundus tuus, & tibi seruiet orbis,

Et tu Tyrannos ferreâ virga teres:

N a Cervicos



Ceruices duras dorsumq; immobile franges,  
Figulus velut confringit urnam fictilem.  
Qui sapitis mihi nunc aures præbete patentes,  
O Principes, & Consules & iudices:  
O Reges audite, DEO seruite Tonanti,  
Et in timore, & in tremore subditi.  
Inq; DEO sitis leti & non temnite Christum,  
Sed Filium reuerenter osculamini.  
Ne forsân iustâ flagrans exardeat ira,  
Et in via pereatis omnes turpiter.  
Nam facile furor ipsius succrescit in altum,  
Quoties monens & nos docens contemnitur.  
O fortunati nimium, verèq; beati,  
Qui simplici credunt ei mente & fide.

## Tertius Psalmus.

**C**VR tot sunt homines, qui me tribulantq; pre-  
muntq;  
Et denso surgunt agmine, sancte DEVS ?  
Quiq; meæ referunt animæ, tu cede retrorsum,  
Nullius in Domino iura salutis habes.  
At tu, sancte pater, meus es protector & arcus,  
Exaltas miserum, gloria nostra, caput.  
Voce mea ad Dominum clamaui, nec mora longa  
Audiit è sancto vota precesq; throno.

Dormiui







CORRIGE.

D.8. hypomnemata paucis. lege, hypomnemata paucis.












46  $\frac{14}{14}$

(+219 9229)  
sb.

AB 46  $\frac{14}{14}$

000011







D. N.

SELN

THE

FALSAM

Stianam, v

λ

